SYMBOLAE CRITICAE AD M. TULLII CICERONIS EPISTULAS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE ATQUE CONSENSU
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE IV. M. JULII A. MDCCCLXXXII H. I.
IN AULA LEOPOLDINA
PALAM DEFENDET

PAULUS STARKER
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

ALBERTUS MEIER, CAND. PHIL.
JOANNES KLUCK, CAND. PHIL.

VRATISLAVIÆ.
APUD GŒRLICH & COCH.

NISSÆ.
TYPIS F. BÆRII.

Viro Doctissimo Atque Humanissimo,

Dr. Aloisio Elsner,

Gymn. Reg. Cath. Vrat. Collegæ,

Fautori Benignissimo,

Hasce Studiorum Primitias

Summa Qua Par Est Pietate

Dedicat

Auctor.

Sententiæ controversæ:

I. Cic. ep. ad fam. XIII, 73, 1: ,quod si Romae te vidissem coram *quam* gratias egissem'.

II. eiusdem ep. ad Att. IV, 17, 1: pro ,*lepidum quo* excidat' — ,ne quid unquam excidat'.

III. ibid. III, 9, 3 in verbis: ,at sic malo' inquies ,quam cum exercitu'. certe. sed istud ipsum *dico* magnum malum putat aliquis' corruptam esse vocem ,dico' atque verba ,*sic malo*' in ea latere arbitror.

IV. ibid. IX, 10, 6: ,quod quæris a me fugamne fœdam an moram *deflendam* (cod. Med: defendam) utiliorem putem etc.'

V. ibid. IX, 12, 4: ,quid censes igitur? ecquidnam est tui consilii *an* (pro vulgato ,ad') finis huius miserrimæ vitæ'?

VI. ibid. X, 16, 2 in verbis: ,tu, dum *ad*sumus, non modo quæ scieris audierisve, sed etiam quæ futura providebis scribas velim' scribatur ,*ab*sumus'.

VII. Vell. Pat. hist. Rom. I, 1, 3: ,quin se etiam a Pyrrho, Achillis filio *versute* (pro ,virtute') vindicavit'.

VIII. ibid. I, 18, 1: enuntiatum ,una urbs Attica pluribus *annis* eloquentiæ quam universa Græcia operibus*que* floruit' hoc modo sanari mihi videtur: ,una urbs Attica pluribus *unius* eloquentiæ quam universa Græcia operibus floruit'.

IX. ibid. I, 18, 3: ,quæ urbes *etiam aliorum* (pro tradito ,et initalia talium') studiorum fuere steriles'.

X. ibid. II, 16, 3 in verbis: ,cuius illi pietati plenam populus Romanus gratiam retulit ipsum *viritim* civitate donando' lego ,*rite*'.

XI. Tac. hist. II, 32: ,Tunc Suetonius Paulinus dignum fama sua ratus, *quo* (pro usitato ,qua') nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur, de toto genere belli censere festinationem hostibus, moram ipsis utilem disseruit'.

XII. ibid. II, 42 in verbis: ,noscentes inter se, ceteris conspicui in eventum totius belli certabant' ,post vocem ,conspicui' ,*ut*' interceptum esse.

Præfatio.

In seminario philologico munere censoris fungens cum ad epistulas Ciceronianas delatus essem, adeo iis captus sum, ut legere tractareque eas instituerem nec non amœnitate suavitateque oblectatus studium operamque meam in eas conferrem. mox ipse manum correctricem adhibere ausus, cum prospere quædam successissent, hunc campum delegi, in quo tirocinium ponerem. nec defuit eventus. quæ cum ita essent, fieri non potuit, quin dissertationis materiem quærenti ultro mihi obreperet cogitatio de iisdem epistulis Tullianis. plures inde petivi locos, in quibus artem criticam factitarem. neque operæ pretium facturum me esse despero. quæ enim ante quadraginta fere annos de epistulis Ciceronianis Kahnt[1]) dixit, etiam nunc valent: ‚eas tot tamque gravibus vulneribus et cicatricibus esse deformatas ac labem turpem et inveteratam obscurare nativam earum venustatem‘; nec minus quæ monuit Kleyn[2]): ‚licet enim strenue in iis purgandis elaborarint viri docti, præsertim recentiore ætate, tamen etiam nunc vehementer textus laborat, hiat, aures offendit, vulnera omne genus habet‘. sunt igitur permulta, quæ facile in pristinum nitorem restituere coneris. quamquam non desunt, quæ vix unquam sanatum iri confidas. ab his manum retinui, ne mere hariolari videar. id enim semper et ubique spectavi, ut, si minus vera, at certe veri simillima proferrem. atque in probandis coniecturis id ante omnia mihi agendum esse ratus, ut rationem corruptelæ eiusque causam atque originem patefacerem[3]), ea, quibus probabilitatis aliquam vindicavi speciem, commendare mihi proposui et

---

[1]) cf. Kahnt, Progr. d. Gymnas. zu Zeitz. 1844, p. 1.
[2]) cf. Mnemosyne 1858, vol. VII, p. 266.
[3]) cf. Klotz, de emendatt. quæ per coniect. fiunt. (ind. lect. Univ. Lips. 1857, p. 4.)

sensu et legibus grammaticis et sermonis constantia et palæographia, quæ quidem quasi cumulus ad illa accedat necesse est. quæ iam proferam, seriem epistularum secutus, qualia sint, alii æstimabunt; ne severius de his primitiis faciant iudicium. — id enim eos tenere velim, pro virili parte me meo iudicio stare studuisse. utinam aliquid contulerim ad exturbanda vitia, quibus multifariam inquinatæ sunt Arpinatis epistulæ!

A.

Epp. ad familiares q. d.

I, 5b, 1.[4]

Statim ab initio quintæ primi libri epistulae litterula b signatæ hæc exstant in cod. Med.: ‚Hic quæ *agantur*, quæque acta *sint*, *ea* te et litteris multorum et nuntiis cognosse arbitror; quæ autem posita sunt in coniectura, quæque videntur fore, ea puto tibi a me scribi oportere'.

editores et Turicenses[5]) et Lipsienses[6]) tanquam incolumem nescio qui exprompserunt hunc locum, quem, difficultatibus obsessum quasi ac circumvallatum, fuerunt, qui bifariam sanare studerent, prout aut utrique enuntiato relativam aut interrogativam priori membro, posteriori vim tribuebant relativam. atque illi formam animo sibi fingentes æquabilitatis cuiusdam orationis necessario hæserunt in coniunctivo. hæc enim enuntiata, si relativa esse vis, cum eiusdem ordinis atque condicionis sint, alterum ut coniunctivum, alterum ut indicativum induat, nullo pacto fieri potest. atque ut criticis, quibus sanus visus est hic locus, hoc largiamur, in enuntiatis relativis etiam coniunctivos adhiberi posse, si quidem causa subest iusta atque perspicua — præsertim in structura accusativi cum infinitivo coniuncti — tamen in alias compelluntur angustias, ut de indicativo in altera parte posito dubitare debeant.

[4]) in locis afferendis secutus sum numeros editionis Wesenbergianæ, quæ inscribitur: M. Tullii Ciceronis epistulæ. Lipsiæ 1873.

[5]) Orelli-Baiter: M. Tullii Ciceronis opera quæ supersunt omnia ex recens. Orellii ed. II Turici 1845. vol. III.

[6]) Baiter-Kayser: M. Tullii Ciceronis opera quæ supersunt omnia. Lipsiæ 1867. voll. IX et X.

quae enim res modorum varietatem efflagitet? quid? quod, si quidem opus est ista varietate, in posteriore potius parte ratio sit coniunctivi. attamen cum cod. Med. fide exhibeatur indicativus, cum et sensui et legibus grammaticis et sermoni satisfaciat, cum denique coniunctivo facile carere possimus, iam patet, aut coniunctivum tollendum aut cum Wesenbergio faciendum esse, qui interrogativam vim priori periodi membro tribuens pronomen ‚ea' temptavit, quod gravissimas sane cuique dubitationes necessario movere debet, quia enuntiatis interrogativis omnino non potest subiungi. ac ne quis forte provocet ad ep. ad Q. fr. I, 2, 16 (‚de singulis rebus, quæ quotidie gerantur, faciam te crebro certiorem')! ibi ‚de singulis rebus' positum est pro enuntiato ‚quod attinet ad singulas res'. qui quidem præpositionis ‚de' usus per Ciceronis epistulas pervulgatissimus est.[7])

satis inde, puto, probatum, quoquo te vertas, difficultates occurrere: hic offendit modorum varietas, illic pronomen ‚ea'. atque Wesenberg satis dubitanter quidem ac verecunde primo loco commendat scripturam ‚aguntur' ‚sunt'.[8]) equidem ingenue fateor, me pro genuina lectione habiturum fuisse indicativum, si in cod. inveniretur. nunc vero quædam me retinent, ne in eius partes discedam. primum enim emendatio proposita duabus nata est mutationibus. probabilius autem scribam uno loco titubasse. idcirco coniecturam una mutatione procreatam et ceteroquin artis criticæ necessitatibus subvenientem præferri oportet. deinde dispicere nequeo, qui factum sit, ut scriba litteris consignaret coniunctivum, cum tamen et structuræ quæ videbatur conformatio et sensus et sequens ‚ea' eum adducere deberent, ut item poneret indicativum. denique ne ea quidem res, quod insequens enuntiatum relativa est forma, tantam habet vim, ut duabus difficilioribusque mutationibus admissis ad eandem normam enuntiatum præcedens conformare nos cogat. quæ quidem omnia etiam Wesenbergii animo obversata esse videntur, qui fidem pronominis ‚ea' labefactavit declarans Ciceronem se iudice scripturum fuisse indicativum, si pronomine ‚ea' usus esset.[9])

[7]) cf. Seyffert palæstra Ciceroniana. Leipzig 1875[7]. pag. 11. Stinner de eo quo Cic. in epp. usus est sermone. Oppeln 1879. p. 26, 69. Hand Turs. vol. II s. v. ‚de' III, 8.

[8]) quam primus coniecit Kleyn (cf. observationes criticæ in Cic. epp. ad fam. Lugd. Bat. 1860.)

[9]) cf. Wesenberg emendationes alteræ etc. Lipsiæ 1873. p. 1: Cicero si ipse ‚ea' addidit, idem scripsit ‚aguntur' ‚sunt'.

nec mehercle desunt exempla, quæ huic sententiæ suffragentur. quorum ex copia hic hæc subiciam: epp. ad. fam. III, 10, 11: ‚nunc *ea*, quæ a me perfecta quæque instituta *sunt*, cognosce'; IV, 2, 3: ‚neque solum *ea* perspicis, quæ *geruntur* quæque iam gesta *sunt*, sed etiam qui cursus rerum, qui exitus futurus sit'; IV, 5, 6: ‚quod ad me attinet, cum te tranquilliorem animo esse cognoro, de *iis* rebus, quæ hic *geruntur* quemadmodumque se provincia habeat, certiorem faciam'; ad Q. fr. III, 3, 2: ‚nunc cognosce *ea*, quæ *sunt* in republica';

atqui Cicero ex cod. auctoritate, quam cur infringamus non est, scripsit coniunctivum; ergo actum est de pronomine ‚ea'; quo labante labitur etiam æquabilitas, quæ sumitur, membrorum. solet autem Cicero obiectum ex verbo ‚cognoscere' similibusve pendens enuntiato interrogativo exprimere. documento sint: epp. ad fam. I, 6, 1: ‚quæ *gerantur* accipies ex Pollione'; I, 8, 1: ‚de omnibus rebus, quæ pertinent ad te, *quid* actum, *quid* constitutum *sit*, *quid* Pompeius *susceperit*, optime ex Plætorio cognosces'; V, 8, 3: ‚quæ *sint* acta quæque *agantur*, domesticorum tibi litteris declarari puto'; VI, 14, 1; ‚sed quæ *faciam fecerimque* pro te, ex illorum te litteris quam ex meis malo cognoscere'; XI, 6, 3: ‚quæ de te in senatu *egerim*, quæ in concione maxima *dixerim*, aliorum te litteris malo cognoscere'; XI, 7, 1: ‚cum adhibuisset domi meæ Lupus me et Libonem et Servium, consobrinum tuum, quæ mea *fuerit* sententia (= meam sententiam) cognosse te ex M. Seio arbitror'; XII, 28, 3: ‚in re publica quid *agatur*, credo te ex eorum litteris cognoscere, qui ad te acta debent perscribere'; ad. Q. fr. II, 3, 1: ‚scripsi ad te antea superiora, nunc cognosce postea quæ *sint* acta;'[10]) ad Att. XI, 3, 1: ‚quid hic *agatur* scire poteris ex eo, qui litteras attulit'. quid? quod exempla suppetunt, quæ testificantur libuisse Tullio in eiusmodi sententiis altero enuntiato uti interrogativo, altero relativo.[11])

summo igitur iure Wesenberg coniunctivum retinens pronomen ‚ea' sollicitandum esse censuit. nec tamen a me impetrare possum, ut ei adsentiar pronomen ‚ea' quasi insiticium uncis excludenti. est enim in promptu lectio facili opera recudenda, quæ, præterquam quod nihil eicitur, gravius aliquid addens, quod pæne desideres, sensum magnopere iuvat corruptelæque rationem atque originem

[10]) viden hæc posita esse pro posteriora? (superiora posteriora).
[11]) cf. epp. ad. fam. IV, 2, 3; 5, 6.

aperit. legendum enim præcipio, ut, quæ deinceps explanavi, unum sub aspectum colligam: ‚hic quæ agantur quæque acta sint, *iam* te et litteris multorum et nuntiis cognosse arbitror e. q. s.‘ hoc idem etiam Wielandium sensisse mihi exploratum est, qui hunc locum ita vertit[12]): „Was hier vorgeht und was (neuerlich) geschehen ist, wird dir, denke ich, aus den Briefen deiner anderen Freunde und Angehörigen, so wie aus mündlichen Nachrichten *sattsam* bekannt sein.“ fraudi autem librariis fuisse opinor, sive quod speciem sibi quandam fingebant æquabilitatis structuræ, varietatem modorum neglegentes, sive quod ad insequens pronomen aberrabant seu denique quod ‚ea‘ consignabant pro ‚iam‘, quod eodem pæne litterarum ductu utitur, præsertim si forte litterula ‚m‘ lineola suprascripta notata erat. de sensu, quem constitui, non est, cur verbum faciam, quia vel aspexisse satis est, ut ita locum redintegrandum esse intellegas.

I, 7, 9.

Cod Med. scriptura hæc est: ‚te vero *emoneo* cum beneficiis tuis tum amore incitatus meo, ut omnem gloriam, ad quam a pueritia inflammatus fuisti, omni cura atque industria consequare.‘

magnam molestiam criticis creavit verbum ‚emoneo‘, quod num proprium sit linguæ Latinæ, disceptatio est. Martyni-Laguna verbum simplex ‚moneo‘ languere[13]) nescio cur ratus, compositum ‚emoneo‘, quod sermonis quotidiani atque familiarioris[14]) fuisse videatur, præferendum esse existimat. at paratissimum hoc refugium, quo te vertas, si, lectionis traditæ iusto tenacior, iustis causis ac rationibus defendere eam non potes. huiusce, quem sumit, usus exempla afferre debuit certissima. quod idem cadit in Freundium[15]) qui præter hunc unum locum eumque controversum non habet, quem proferat; in Forcellinii[16]) lexico omnino non

[12]) Wieland: M. T. Cic. sämmtliche Briefe übersetzt und erklärt. Zürich 1808, vol. II, p. 208.

[13]) cf. M.-L. in M. T. Cic. epp. comment. reliqu. apud Orellium in ind. lect. Turic. 1840. p. 59.

[14]) cf. Wörterbuch der lat. Sprache. Leipzig 1834.

[15]) hoc idem sentit Stinner: de eo quo Cic. in epp. usus est sermone. Oppeln 1879. p. 19.

[16]) cf. Totius Latinitatis lex. s. v.

exstat hoc verbum; Georges[17]) suspicionem non retinuit. recte igitur Wesenberg suo sibi iure id sumpsit, ut hoc verbum a lingua Latina plane abiudicaret.[18]) neque enim quisquam perspicere potest, quam vim inferat illud ‚e‘. editores quidem et Turicenses et Lipsienses hoc verbum sine ulla dubitatione in textum receperunt. de corruptela autem eiusque sede vix ambigi potest; de medela non convenit. ac primus quidem Cratander, quocum facit Ernesti, litterula ‚e‘ exstirpata locum emaculasse sibi visus est. nec tamen emendatio eius admodum arrisit iis, qui postea epistulas curaverunt. et mehercle omni caret specie temere additam esse litteram syllabamve; e contrario mutilationis indicium agnoscas. quod quidem sentiens Koch illud ‚e‘ ex ‚ego‘ fluxisse vult, id quod mihi nulla ex parte probatum est, cum præterquam quod depravationis ratio non apparet, omnino non sit, cur pronomen personale, quod sensu non efflagitatur, coniciendo inferas. Klotz deinde proponit ‚commoneo‘, quod in ‚emoneo‘ depravatum esse vix crediderim; idem sentio de Wesenbergii coniectura ‚admoneo‘. altera, quam idem vir doctus protulit ‚et moneo et rogo‘, plus in se habet, quo commendetur. hoc sane non inscite sensit ‚e‘ ex ‚et‘ prodisse et verbum petendi notione instructum adici oportere; multo autem facilius, opinor, est legere ‚te vero *oro* et moneo‘. nec deest testis gravissimus, qui inventi mei patrocinium suscipiat. Buecheler enim dicit: „Eins der gewöhnlichsten Verderbnisse im Florentiner Codex ist das, dass, wenn 2 gleichlautende Silben auf einander folgen, die eine derselben ausgelassen worden ist“,[19]) et „die Aehnlichkeit mehrerer Buchstaben hat die Uebergehung einzelner Laute, Silben und Wörter seitens der Abschreiber veranlasst“.[20]) ‚ero‘ autem eodem pæne non solum litterarum ductu, sed etiam sono utitur ac verbum ‚oro‘; quo quidem omisso vocula ‚et‘, quia non erat, quo referretur cum insequenti verbo coalescens compositum effecit ‚emoneo.‘

---

[17]) cf. Ausführl. lat.-deutsches Handwörterbuch. Leipzig 1879 [7].
[18]) cf. em. alt. p. 2.
[19]) cf. mus. rhen. vol. XI, p. 512.
[20]) cf. ibid. p. 518 init.

I, 9, 23.

Cod. Med. hæc habet consignata: ,scripsi Aristotelio more, quemadmodum quidem volui, tres libros *in disputatione ac dialogo* ,de oratore', quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles'.

summa offensione criticos quosdam affecerunt verba ,in disputatione ac dialogo'. ac primus quidem Martyni-Laguna uncis ea quasi interpolata circumsæpsit, id quod plausum tulit editorum Lipsiensium; Turicensibus autem itemque Klotzio placuit pro genuinis ea venditare; Wesenbergium denique nihil amplius offendit quam particula ,in', quæ de forma illorum librorum vix ferenda ex sequenti ,inutiles' aberrando nata esse videatur.[21]) at quam improbabile hoc! de sede sua illa verba movenda esse censeo. primum enim facile carere possumus illo additamento, si quidem ad explicandum morem Aristotelium appositum est, quoniam non est consentaneum, Ciceronem ad Lentulum, hominem doctissimum atque eruditissimum, cum scriberet, addidisse ea, quibus omissis unusquisque nobilium Romanorum, quos rhetorum scholas frequentasse constat, vel pertenuem significationem plane perspicere debuit. contrariam sententiam protulit Orelli scribens:[22]) ,sed prorsus sunt (sc. illa verba) necessaria, cum explicent verba ,Aristotelio more', quorum forma est disputatio ac dialogus'. offendit vero etiam ratio stili: neque enim Ciceroniana esse possunt, quæ ita struuntur: ,scripsi tres libros ,de oratore' *in* disputatione ac dialogo.' Cicero certe scripsisset ,*in* disputationis ac dialogi *modum*', accedit iam aliud. nempe negaverim tanto intervallo additamentum ,de oratore' seiungi posse a substantivo ,libros', quocum in unam quasi notionem coalescit. nec quidquam iuvat, quod Wesenberg [23]) exsulare iubet præpositionem ,*in*'. idem etiam in eo errasse mihi videtur, quod ad sententiam suam comprobandam nos ablegat ad proxime insequentia ,scripsi etiam versibus tres libros de temporibus meis'. primum enim hæc verba, quæ idem valent ac ,poëtarum more', opposita sunt illis ,Aristotelio more'. deinde illud, quod supra præcepi, ut titulus excipiat substantivum ,libros', servatum est.

---

[21]) cf. em. alt. p. 3.

[22]) cf. M. Tull. Cic. opp. Turici 1829, vol. III. p. 47.

[23]) quid ad ,Madvig Cic. de fin. p. LX et 852' provocet, non intellexi. hæc nihil, puto, ad rem propositam.

denique dictio, quam vult Wesenberg ‚disputatione ac dialogo scribere aliquid', ab indole sermonis Latini plane abhorret nec probatur dictione ‚versibus scribere aliquid'. atque ut exponam, quid ipse de totius loci natura sentiam, Cicero sane, qua usus sit scribendi ratione, indicare debuit, (ut docet oppositio, quam pressit Wesenberg). indicavit haud obscure verbis ‚Aristotelio more'. equidem transpositione usus haud ita difficili legendum propono: ‚scripsi . . . . tres libros ‚de oratore', quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles *in disputatione ac dialogo*'. is autem constituitur sensus: Cicero arbitratur libros ‚de oratore' Aristotelio more a se conscriptos Lentuli filio utiles fore studia rhetorica tractanti. hanc sententiam confirmare videntur, quæ infra leguntur in § 24: ‚tu me de tuis rebus omnibus et de Lentuli tui nostrique *studiis* et *exercitationibus* velim quam familiarissime certiorem et quam sæpissime facias.' hæc studia, has exercitationes respiciens verba illa sollicitata usurpasse videtur Cicero. et profecto, ipsa rerum natura postulat aliquid, quo accuratius definiatur, quod verbis ‚non inutiles fore' dicitur. quæ transposui, omissa et postea in margine collocata ab alio scriba alienum in domicilium deducta esse videntur.

I, 9, 26.

In iisdem litteris sub finem Cicero summopere eiusdem Lentuli imperatoris æquitate probata, quam, cum de rebus ad publicanos pertinentibus ageretur, ille præstiterit, in hunc modum pergit: ‚*felicitate a quid* vellem consequi potuisses, ne eius ordinis, quem semper ornasti, rem aut voluntatem offenderes'.

huius enuntiati prima verba, qualia ex cod. Med. desumpta crucis signo apposito exhibet Wesenberg, graviore mendo inquinata esse nemo fuit, quin videret. offensioni certe est ablativus ‚felicitate'. fac enim eum indicare rationem consequendi, ‚cum' requiritur. accedit, quod sermoni Latino verbum ‚consequi' per se plane satisfacit.[24]) Wesenberg ablativum instrumenti qui vocatur voluisse videtur provocans ad Cic. pro Sulla 83, ubi legitur: ‚committam, ut ea, quæ pro salute omnium gessi, casu magis et *felicitate*, quam virtute et consilio

---

[24]) dici potest ‚feliciter' ‚infeliciter *gerere*'; non item ‚feliciter' ‚infeliciter *consequi*'; verbo ‚consequi' felicitatis notio inhæret.

gesta esse videantur'. at vero quam insulsa ac frigida et a connexu cum antecedentibus divulsa evadit sententia! unde tam repente felicitatis notio? immo secundum editionem Neapolitanam facilitatis notionem exigi, id quod etiam Baitero placuit, satis superque elucet ex virtutibus æquitatis et moderationis et temperantiæ, quibus ab ipsa natura Lentulum exornatum esse prædicat Cicero dicens (§ 22): ,novi enim *temperantiam* et *moderationem* naturæ tuae, novi animum cum mihi amicissimum, tum *nulla in ceteros malevolentia* suffusum contraque cum *magnum* et *excelsum* tum etiam *apertum* et *simplicem*'. has virtutes omnes tanquam breviter comprehendere mihi videtur dictio ,facilitas'.[25]) virtutes autem laudatæ sane adminicula esse possunt, quibus quid consequaris. atque mutatio tantula est, ut nos dubitare non sinat de emendationis specie. sic eorum quoque lectiones ad nihilum recidunt, qui velut Gronovius et Victorius aliquo modo felicitatis notionem retinuerunt, quam quomodo Wesenberg ad ep. ad fam. III, 8, 7: ,cum in eo genere maxime quereretur te aliorum probitate minus felicem fuisse',[26]) confugiens tueatur, ipse videat. Liviana denique, quibus adhærescit, quantum valeant ad sententiam eius confirmandam diiudicari non potest, cum locos non nominatim attulerit.

iam pervenimus ad reliquias vocularum, quæ delitescunt in ,a quid.' Baiter, editionem Neapolitanam et Victorium secutus, in textum recepit ,quidem'. Gronovius, cui assentiri non ita displicet Wesenbergio, proposuit ,quadam'. verum tamen neutri genuinam lectionem refinxisse mihi videntur. neque enim, ut hoc largiar, intercidere potuisse syllabam ,em' propter subsequentis coniunctivi similem exitum, perspicitur, quomodo illud ,a' irrepserit, quod tantum absit, ut inutile additamentum scribæ oscitantis, ut mutilationis vestigium appareat. deinde quid, quæso, sibi vult hoc loco particula ,quidem'? an statuitur oppositio? an subest ratio restrictiva? ,quadam' denique æquo longius ab apicibus recedit. duæ enim admissæ sunt mutationes nec ita faciles, præterquam quod illud ,a' pariter neglegitur. ne tum quidem propius ad sensum accedas, si ,facilitate quadam' scribas, quoniam

[25]) in eandem opinionem pervenit Benedict (M. Tull. Cic. epp. VIII priores libri. Lipsiæ 1790. p. 105). idem si cum ed. princ. legit ,fac. autem quid (= aliquid)' longe aperteque aberrat a certa via.

[26]) cf. em. alt. p. 3.

Lentuli facilitatem ut notissimam supra probavi. quare a Med. scriptura profectus editionisque Neapolitanæ emendatione usus Ciceroni verba sua reddidisse mihi videor scribendo ,facilitate *tua id quidem* vellem consequi potuisses, ne e. q. s.' Lentuli virtutes amplissimis laudibus a Cicerone efferri vidimus. quid igitur magis consentaneum, quam ut æquitate paullo ante prædicata Cicero dicat: ,facilitate *tua*' (i. e. qua tu es facilitate vel quæ tibi propria est).[27]) opus utique est epitheto, cum certa sit facilitas eaque, quæ in Lentulo cernatur. deinde ,quidem' vi restrictiva indutum post ,id' iustum locum obtinere et novam lucem Ciceronis verbis afferre videtur. significat enim, Ciceronem pro eximiis amici virtutibus magna eum consecuturum esse sperasse, id certe, ne offenderet ordinem, quem semper ornasset. sic omnia bene inter se congruunt atque cohærent. ad ultimum vero ut palæographiæ habeamus rationem, illud ,a' ex ,tua' degenerasse puto similibus syllabis præcedentibus ,ta-te'. ,id' interceptum esse videtur proxime insequenti ,quid' voculæ ,quidem', quæ et ipsa facillime debilitari potuit surrepta syllaba ,em', in quam exit verbum ,vellem'.

II, 8, 1.

Cicero præfatus se Cælio non mandasse, ut de causis minutissimis ad se scriberet, et quantum ei tribueret iudicio suo professus, quo *πολιτικώτερον* neminem adhuc cognoverit, ita pergit: ,ne illa quidem *curo* mihi scribas, quæ maximis in rebus rei publicæ geruntur quotidie, nisi quid ad me ipsum pertinebit; scribent alii: multi nuntiabunt; perferet multa etiam ipse rumor. qua re ego nec præterita nec præsentia abs te, sed ut ab homine in posterum longe prospiciente futura exspecto, ut ex tuis litteris cum formam rei publicæ viderim, quale ædificium futurum sit, scire possim'.

in his quamquam omnes non solum codd. sed etiam edd. conspirant, tamen facere non possum, quin de sinceritate verbi ,curo' suspicer. etenim dispicere nequeo, quomodo huc conveniat notio curandi. exspectes potius verbum orandi. sed ne hoc quidem

[27]) non igitur requirit facilitatem, quæ sane voluntatis est, in Lentulo neque carpit hominem amicissimum optimeque de se meritum (cf. P. Manut. comment. in epp. M. Tullii Cic. quæ fam. voc. Frcf. 1600 p. 192).

opus est, cum coniunctivus ‚scribas' per se plenam efficiat sententiam. ac me quidem iudice Tullius scripserit ‚*curioso*', quod verbum quadrat ad totius loci indolem. neque enim mirum nec ignotum est, Ciceronem quam plurima cupere scire.[28]) hanc ingenii naturam respiciens amicus vel de minutiis eum certiorem fecit. scribit enim Cælius in ep. ad fam. VIII, 1, ad quam respondetur ep. II, 8,: ‚quod tibi decedens pollicitus sum, me omnes res urbanas diligentissime tibi perscripturum . . . . tametsi tu scio quam sis *curiosus* et quam omnibus peregrinantibus gratum, *minimarum* quoque *rerum* quæ domi gerantur, fieri certiores, tamen . . . . quod exemplum si forte minus te delectarit, ne molestiam tibi cum impensa mea exhibeam, fac me certiorem. ad quæ rescribens Cicero aptissime quasi per concessionem pergere debuit: ‚ne illa quidem, quamvis curiosus sim (= curioso), mihi scribas e. q. s.' curiositas autem Ciceronis notissima. quid? quod ipse pluribus locis ingenue eam profitetur. de ea egit Kahnt in programmate supra laudato (cf. p. 2),[29]) ubi in testimonium vocat epp. ad. Att. IV, 11, 2: ‚nos hic voramus litteras. . . *οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πάντ᾽ εἰδέναι.* quare, ut homini *curioso,* ita perscribe ad me . . . .'; VI, 1, 26: ‚hæc te volui *παριστορῆσαι;* sumus enim ambo belle *curiosi*; II, 12, 2: ‚sum in *curiositate ὀξύπεινος*'. V, 14, 3: ‚si me nihilo minus nosti *curiosum* in re publica quam te, scribas ad me omnia quæ sint, quæ futura sint'. denique nescio an mutandi facilitas invento meo haud mediocriter suffragetur. sic gravius quid adicitur sententiæ, ut certum ducat colorem.

II. 16, 5.

Cicero ad Cælium scribit se filio suo satis amplum patrimonium nominis sui memoriam relicturum esse, si ulla res publica futura sit; sin vero nulla, idem ei fore, quod reliquis civibus.

---

[28]) cf. ep. ad Att. IV, 14, 2: ‚si quid forte novi habes . . . si quid forte de comitiis, de re publica . . . scribas ad me. si nihil habebis tamen scribas aliquid', itemque V, 15, 3.

[29]) per occasionem coniecturæ, ex qua in ep. ad Att. II, 5, 2 legit: ‚vides *curiositatem* meam'; id quod probat Boot (M. Tull. Cic. epp. ad Att. libri 16. Amstellodami 1865) ad ep. ad Att. II, 5, 2 nec non Klotz (M. Tullii Cic. scripta quæ manserunt omnia. Leipzig 1854) pars III. vol. II. p. VI.

deinde amico, qui cum in epistula quadam monuisse putandus est, ut etiam Dolabellæ, generi sui, rationem habeat, respondens, ‚nam quod rogas', inquit, ‚ut respiciam generum meum, adulescentem optimum mihique carrissimum, *an* dubitas, qui scias, quanti cum illum tum vero Tulliam meam faciam, quin ea me cura vehementissime sollicitet e. q. s.'

Ciceronis ingenium Wieland plane assecutus esse videtur vertendo:[30]) „Und wenn Du mich bittest, auch auf meinen Schwiegersohn, einen so würdigen jungen Mann Rücksicht zu nehmen: kannst Du, da Du weisst, wie sehr ich ihn sowohl als meine Tullia liebe und schätze, einen Augenblick zweifeln, dass diese Sorge eine von denen ist, die mich am heftigsten drücken?" etiam hoc bene eum fecisse autumo, quod formam interrogativam servavit, quæ plane propria esse videtur sententiæ. vocula ‚an', quæ hic legibus repugnat grammaticis, ut editoribus Lipsiensibus et Turicensibus sincera, ita Wesenbergio maculata est visa. ac fuerunt, qui cum offensionis causam negare non possent, artificiosis vindiciis eam tuerentur. quorum ex numero est Stinner, qui liberiorem coniunctionem apodosis cum protasi statuens insolitam sane rem excusare studet.[31]) quæ quidem explicatio obscuritate laborans latiusque patens nescio an nihil probet; in hunc locum certe non conveniat. Hofmann deinde sentiens miram dicendi inconcinnitatem, quod eius fieri possit, moderandam esse, ex antecedenti ‚respiciam' subintellegere nos iubet ‚respicio' ante ‚an',[32]) ut adsit responsum ad Cælii rogationem pertinens. sic enuntiatum p r i m a r i u m subaudiendo fingit. his iam subicit sententiam adversativam ab ‚an' exordientem. quam quidem orationis conformationem licere, rectissime, puto, negavit Wesenberg,[33]) qui — ut alibi, etiam hoc loco coniecturis abundans, quarum ipsa copia ac varietas uniuscuiusque probabilitatem valde, ne dicam plane, imminuit, — post ‚carissimum', ut orationis hiatum expleat, inserit ‚equidem facio', adhibita ep. ad Att. I, 3, 3.[34]) at vero ea res, quod Cicero in simili re aliis

[30]) cf. l. l. vol. IV, p. 413.

[31]) cf. Stinner de latini sermonis in copulandis sententiis breviloquentiæ quodam genere (Progr. d. Gymn. zu Oppeln 1845), p. 13.

[32]) cf. Hofmann ausgewählte Briefe von M. Tull. Cic. Berlin 1874[3]. vol. I, p. 207, not.

[33]) cf. em. alt. p. 4.

[34]) cf. etiam ad Att. XI, 16, 4.

locis ita dixit, per se nos adducere non potest, ut coniectura huc idem illud inferamus. auget sane aliis rationibus adiecta probabilitatem; sola nihil valet, nisi omnem dicendi varietatem adimis. accedit, quod omissionis rationem detegere vix queas. item abiciendam esse censeo cogitationem de immutanda orationis forma, quæ Wesenbergio obrepsit. primum enim interrogativa ratio et cod. memoria defenditur nec per se nos sollicitat, immo aptissima dicendi ratio esse videtur. agrestius enim sonat et opprobrii instar nudum ,dubitas'. Cicero, si forma interrogativa usus non esset, qua erat urbanitate, certe scripsisset ,dubitare videris.' præstat quidem ,num', quod ultimo loco vir doctus proponit. ego vero facili opera repono ,*tune*'. atque sunt, quæ lectioni meæ patrocinentur. primum enim veri est simile præcessisse pronomen ,tu', ut esset quo referretur pronomen relativum ,qui' (scias). deinde pronomen, cui totius loci sensus atque indoles emphasin addit, diserte ponatur oportet. quæ quidem adhibito pronomine subnexaque particula ,ne' augetur. et consulto quidem. Cicero enim declarare mihi videtur, Cælium vel minime[35]) dubitare debuisse de suo erga generum amore. ceterum vel ea res, quod vocula ,ne' responsi rationem non præripit, sed in medio relinquit, utrum negative an affirmative respondeatur, hanc lectionem commendet. suppetit denique locus huic consimilis in ep. ad Att. XII, 20, 1, ubi est: ,quod me hortaris idque a ceteris desiderari scribis, ut dissimulem me tam graviter dolere, possum*ne* magis quam quod totos dies consumo in litteris'?

IV, 13, 6.

His litteris Cicero, de temporum iniquitate vehementissime questus, Nigidium Figulum amicum exsulantem consolatur eumque non diutius in his molestiis fore professus suam ei operam auxiliumque pollicetur. ,nam et complectar' inquit, ,eius (sc. Cæsaris) familiarissimos, qui me admodum diligunt multumque mecum sunt, et in ipsius me consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo et omnes vias persequar, quibus putabo ad id quod volumus *pervenire* posse; in hoc toto genere plura faciam quam scribere audeo.'

[35]) cf. quæ adnotat Dillenburger (Q. Hor. Flacci op. omnia, Bonnæ 1875[6]) ad Hor. sat. II, 3, 128: ,tun sanus?'

sic cod. Med. structura ‚putabo pervenire posse' a linguæ Latinæ usu discrepat. subiectum enim structuræ accusativi cum infinitivo omitti non debet, ne tum quidem si eodem subiecto quo verbum regens utitur enuntiatum illi obnoxium. quæ lex editoribus Turicensibus non tantam vim severitatemque habere videtur, ut intra eam se sibi continendos existiment. Lipsienses, Lambini sententiam amplexi, ‚perveniri' commendant, Klotz denique pronomen ‚nos' inserit post ‚volumus.' iamiam qui rerum status atque condicio sit, paucis exponatur. Nigidius Figulus, intima familiaritate cum Cicerone coniunctus, in exsilio versatur, quia Cæsaris odium sibi contraxerat. nimirum Cicero summopere exoptat, ut in pristinam fortunam restituatur amicus. idem etiam Nigidii desiderium. inde illud ‚volumus', quod non de uno Cicerone, sed de utroque viro dictum est. conferas, quæso, quæ Cicero dicit formis usus numeri singularis primam personam significantibus: ‚complect*ar*', ‚*meus* pudor', ‚*mihi*', ‚insinua*bo*', ‚persequ*ar*', ‚puta*bo*', ‚faci*am*', ‚aude*o*'. cadit iam Klotzii additamentum, siquidem pronominis ‚ego' vices gerere sumitur; sin vero propria atque insitiva significatione accipitur, bene apteque ita dici posse negaverim. neque enim Nigidius exsul sui restituendi vias ipse persequi potest, cum neque aditum habeat ad Cæsarem ipsum nec familiarium eius utatur consuetudine, quamvis licet, qui Cæsari iucundissimi sunt, (§ 5) de eo mirabiliter loquantur ac sentiant. in Cicerone uno unica eius ac summa salutis suæ spes posita est; in Cicerone inquam, qui, ab amico rogatus, ut restitutionem agat, fortunam eius curæ sibi fore pollicetur et nominat vias quasdam, quibus putat ad id, quod volunt, pervenire se posse. sub finem profitetur, vel omnes vias persecuturum se esse, quibus putet ad id, quod velint, ‚pervenire posse'. nonne hæc obiter legenti vel ultro sese obtrudit cogitatio de inserendo pronomine ‚me'? sic igitur struatur: ‚omnes vias persequar, quibus putabo, ad id quod volumus, pervenire *me* posse'.

VI, 7, 1.

Cod. Med. hæc prodidit memoriæ: ‚filius,[35]) ut audio, pertimuit, neque iniuria, si liber exisset, quoniam non tam interest, quo animo scribatur, quam quo accipiatur, ne *ea* res *inepte* mihi noceret, præsertim cum adhuc stili pœnas dem'.

[35]) qui Romæ erat (cf. ep. ad fam. VI, 6, 13: ‚interea etc.')

hæc sunt Cæcinæ verba, qui ex Sicilia, ubi vitam exsul degebat, ad Ciceronem scribit, cui filium librum quendam dare iusserat corrigendum, priusquam exiret. ipse iam cum filio timet, ne noxa sibi inferatur. at quæ tandem res ne sibi noceat veretur? ‚*ea* res'. at quænam? pronomen demonstrativum ‚ea' quo, quæso, referendum? ad parenthesin (quoniam-accipiatur)? at continet causam timendi. an ad enuntiatum condicionale (si liber exisset)? at hac ipsa libri ‚Querelarum'[36]) editione Cæsaris animum, quem in se irritaverat, placare sibique reconciliare studet. Cæcinæ ergo permultum interesse debet, ut exeat liber. idcirco Ciceroni librum mittit corrigendum corrigendique necessitatem iterum atque iterum premit. inde nimirum oboritur quæstio, cur corrigi velit librum. suspicatur scilicet, inesse posse, quæ Cæsaris animum iterum offendant. quid igitur corrigi vult? quidquid offendere potest. ergo id quidem constat, Cæcinam timere, ne argumentum libri ratiove noceat, qua res singulae tractatae conscriptaeve erant. ac recte quidem de hac re disputasse mihi videtur Frey.[37]) Cæcina enim, qui profugus ex patria, quod, Pompeii partes amplexus, armatus adversario maledixerat,[38]) stili pœnas etiam tum dabat, ‚Querelarum' librum in laudem Cæsaris conscripserat, ut in gratiam eius sibi patefaceret reditum; timebat autem, ne, si liber exisset, *seu laudando, quem Cæsar laudari nollet, seu vituperando, quem magni ille faceret, seu alia causa denuo fraudes conciperet:* in qua calumnia timoris et cæcæ suspicionis tormento, cum plurima ad alieni sensus coniecturam non ad suum iudicium scriberet, quia difficillimum erat evadere, librum custodiri diligenter accurateque emendari a Cicerone, quippe qui teneret, quibus rebus gauderet, quibus caperetur Cæsar, cupiebat filiumque suum ea condicione cum Ciceroni dare iusserat, si ille reciperet se correcturum esse; ipse de hac re ad Ciceronem dedit epistulam VI, 7. nec nescius quam difficile negotium quamque grave onus susceperit (cf. § 3: ‚genus autem hoc scripturae non modo liberum, sed incitatum atque elatum esse debere, quis ignorat?' et ‚sic tot malis tum vinctum

[36]) cf. ep. ad fam. VI, 6, 8.

[37]) cf. Frey, adnott. ad M. Tull. Cic. epp. (Progr. d. Gymnas. zu Rœssel.) 1873, p. 6.

[38]) cf. Sueton. Jul. Cæs. c. 75: ‚*Aulique Cæcinæ criminosissimo libro . . . . laceratam existimationem suam* civili animo tulit.'

tum fractum studium scribendi quid dignum auribus aut probabile potest afferre?'), cautissimus fuerat in rebus conscribendis, et quanta cura id egerit, ut evitaret, quæ Cæsari offensioni esse possent, apparet ex verbis: ‚sed tamen ego quidem *me sustinui: multa minui, multa sustuli, multa ne posui quidem*'. Cæsaris iudicium, quem penitus non norit, metuens contremescit. sic totius epistulæ indoles conexusque demonstrant ex argumento epistulae repetenda esse, quae ne sibi noceant, timet. veretur autem, ne se inscio atque invito adhuc supersint eruanturve, quae inepte dicta[39]) Caesaris animum irritent eiusque odium etiam magis inflammeut. haec,[40]) inquam, haec corrigi, haec amplius minui, haec denique tolli vult a Cicerone. Caecinam incertas ignotasque res pronomine indefinito significare debuisse, non iam sub iudice lis esse potest. lego igitur ‚ne *qua* res'. emendationi propositae magnopere patrocinatur, ne hoc praetercam, mutandi facilitas. propter similem enim formam litterarum c et q[41]) fieri potuit, ut altera in alterius locum substituta, pronomen demonstrativum evaderet.

hoc vitio exempto aliud restat in vocabulo ‚inepte', cuius qui locus sit iuxta verbum ‚nocere', vix quisquam perspiciat. etenim in *re* nocente quaeri non potest *quomodo* sed *quantum* noceat. summo igitur iure haesit Wesenberg. verumtamen quas promulgavit lectiones,[42]) nulla ex parte mihi probavit: Martyni-Lagunae coniectura ‚inepto', quae, ut facilis sane, ita inepta sit, merito reiecta, primo loco commendat ‚impense.' id praeterquam quod apices longe deserit, omnino non potest usurpari de *rebus*, sed de *personis* tantummodo nocentibus, quae voluntate praeditae sunt atque arbitrio. pari modo etiam Freyum acriter impugnandum esse existimo, qui Wesenbergium plane refellisse et rem acu quasi tetigisse sibi videtur, cum illum quodammodo cavillatione perstringens scribit:[43]) ‚sed nescio, qui factum sit, ut v. d. in hoc

[39]) cf. Orelli onomast. Tull. pars II s. v. A. Cæcina p. 110 sq.: ‚hunc (sc. Querelarum librum) Cæsaris, secus quam multi existimarant, civibus parcentis, laudes complexum, custodiri tamen diligenter emendarique a Cicerone cupiebat, ne sicubi exisset, sibi, *male fortasse palpanti*, Cæsar undique tutus gravius recalcitraret.'

[40]) illud enim ‚non tam interest, quo animo scribatur quam quo accipiatur' ne Cicero quidem corrigendo amovere poterat.

[41]) quæ similitudo apparet in maiusculis.

[42]) cf. em. alt. p. 14.

[43]) cf. l. l. p. 7.

vocabulo tam impense haereret, quod ad sententiam aptissimum est; nam inepte profecto f e c i s s e t, si libro edito stili crimen commisisset, e. q. s.' apparet iam Freyum omnino non percepisse, qua in re loci difficultas posita sit quidque scrupulum Wesenbergio iniecerit. probandum erat, r e m inepte n o c e r e posse: quid, quæso, iuvat affirmare h o m i n e m inepte f a c e r e posse? Wesenberg vero, si uncis circumscribit hanc voculam, tanquam geminatione ortam ex ,ne ea res',[44]) fines probabilitatis per se angustos longe excessisse mihi videtur. est enim, quo notio inepti aptissime referatur. vocabulum ,res' dico. ac sine controversia res inepta nocere potest et ipsae ineptiae vel maxime Caecinae iam nocuerant. ineptias igitur corrigi eximique vult. sic demum nova luce claraque allata Caecinae verbis propria atque insitiva redditur vis.

VII, 24, 1.

ex cod. Med. auctoritate memoriae proditur: ,id ego in lucris pono, non ferre hominem (sc. Tigellium) pestilentiorem patria sua (sc. Sardinia) eumque addictum iam *tum* puto esse Calvi Licinii Hipponacteo praeconio'.[45])

editores quidem Turicenses ac Lipsienses in his nullam omnino offensionis causam agnoverunt; Wesenbergio autem, praeeunte Lambino, hic locus maculosus est visus. neque enim est, quo referatur particula demonstrativa ,tum'.[46]) inde Lambinus cogitavit de ,dudum', quod adeo displicet Wesenbergio, ut dicat: ,fuitne, ut coniceret L. iamdudum"?[47]) ad illum sese applicuit Wieland.[48])

[44]) cf. emend. M. Tull. Cic. epp. Hauniæ 1840. p. 4. not. 3. his quid sibi voluerit v. d., frustra enisus sum perspicere.

[45]) ad rem quod attinet cf. Orelli-Baiter: onomast. Tull. Turici 1837. pars II. s. v. ,Tig. Sard.': ,significat Cicero choliambum illum a Porphyrione ad Hor. sat. I, 3, 1 servatum: ,Sardi Tigellii putidum caput venit· et in ipsa hac voce ,Tigellii caput venit· facete ludens eum tanquam in auctione mancipium præconis voce licitanti quasi addictum ait. Tigellium igitur i a m d u d u m (!?) Licinius Calvus poëta, Catulli amicus, Bioneo sale perfricuerat'. Verburg l. l. vol. VI, p. 397. Teuffel, Geschichte d. röm. Litt. Leipzig 1875^3 p. 422, 7. Buecheler in mus. phil. XIV, p. 448.

[46]) falso eam explicat Verburg per ,t o t a n n o s', Orelli per ,i a m d u d u m.'

[47]) cf. em. alt. p. 17.

[48]) cf. l. l. vol. V. p. 593.

equidem non inveniens, unde duci possit notio ‚iamdudum', coniectura auguror in corruptela delitescere ‚nunc', quod a temporis ratione cum per se explicationem habet singularem tum planiorem plenioremque totam reddit sententiam. eo ipso enim tempore, quo Cicero a familiarissimis Caesaris omnibus observatur, ille ipse, qui eum neglegit eique adversatur, Calvi Licinii carmine probroso diffamatus est eiusque inimicitia pro nihilo putanda. termini ‚iam nunc' vim ac naturam, quo magis perspicias, ablego te ad ea, quae de hac re disserit Hand.[49])

VIII, 1, 2.

Caelius ab initio huius epistulae Ciceroni sese excusat, quod operario mandaverit, ut ad eum omnes res urbanas quam diligentissime perscriberet; maiores gravioresque res, quas minus commode operarii perscribere possint, se ipsum cum eo communicaturum esse. inde haec sequuntur: ‚ut nunc est, nulla magno opere exspectatio est; nam *et* illi rumores de comitiis Transpadanorum Cumarum tenus caluerunt, Romam cum venissem, ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi.'

quae quidem Wieland sic vertit:[50]) „Denn die bekannten Gerüchte von vorgeblichen Wahlversammlungen in den Städten jenseits des Padus haben sich nicht weiter als bis Cumä warm erhalten: wie ich nach Rom zurückkam, war auch nicht der leiseste Laut davon zu hören."

iam vero in hac sententia nemini adhuc, quod sciam, suspecta, mihi contigit, ut gravissimum deprehenderem vitium, quod, quamvis exigua librarii oscitantia ortum, sensum sententiarumque conexum mirifice perturbat ac dissolvit. verbis enim, quae incipiunt a ‚nam', Caelius, quod antea posuerat, scilicet ‚nulla magno opere exspectatio est', explicare probareque debet. ea vero quae ad nostram aetatem pervenerunt, plane contrariam perhibent sententiam, quam nec Turicenses nec Lipsienses sustulerunt, qui post ‚caluerunt', quo loco Wesenberg virgulam inflixit, semicolo utuntur. altius enim radices egit corruptela. verum ut inveniamus, quae sit rerum sententiarumque condicio ac nexus statuere debemus.

---

[49]) cf. Turs. vol. III, p. 114; 116; 153.

[50]) cf. l. l. vol. III, p. 102.

Caelius autem, quod affirmavit, nullam magno opere esse exspectationem, iam suscipit probandum. atqui rumores de comitiis Transpadanorum Cumarum tenus caluerunt! sed tamen hac re, sane magnae exspectationis, Caelii sententia non refellitur. Romae enim, in ipso imperii Romani orbisque terrarum capite, ubi optime cognosceres, quae cuiusque rei esset exspectatio, ne tenuissimam quidem auditionem de hac re accepit Caelius. ergo concessiva ratio intercedat necesse est inter sententias, quas modo excussi, ita quidem, ut Caelius dicat: nulla magno opere exspectatio est; etenim, etiamsi illi rumores de comitiis Transpadanorum Cumarum tenus caluerunt, tamen, cum Romam venissem, ne tenuissimam quidem auditionem nedum exspectationem de ea re accepi. deinde vero quid sibi vult particula ‚et'? quam quidem, a Wielandio omnino neglectam, Wesenberg vertit[51]) per „sowohl" eique respondere facit subsequens ‚praeterea', provocans ad ea, quae Madvig disputat ‚in exc. I ad Cic. de Fin. p. 799 sq. 802 sq.' quos quidem locos ut accurate examinarem, totam disputatiunculam editioni affixam quamvis perscrutatus non inveni, quæ huc possent referri; nisi forte quis, quæ pp. 786 et 788 dicuntur, huc pertinere putat. quæ quo magis quisque intellegat, quantulum valeant ad quæstionem propositam, plena exscribantur: (p. 786) ‚nihil per commentarios Ciceronianos magis decantatum est, quam Ciceronem sic incipere tanquam ‚et — et' dicturus sit, deinde cum prius membrum longius factum sit, pro altero ‚et' alia uti novæ sententiæ adnectendæ forma'; (p. 788): ‚revertimur igitur ad superiorum præcepta et hoc primum facimus genus dissolutæ orationis bipertitæ, ubi ‚et' sic posito, ut neque augendi neque adiungendi, sed eius, quod secuturum sit significandi vim habeat, tamen non subiciatur alterum ‚et'. quid, quæso, his iuvamur? fac enim ‚et — præterea' posita esse pro ‚et — et', tamen eadem non dico inconcinnitas, sed sententiarum perversitas atque adeo contradictio cum iis, quæ probanda sunt, restat. natura enim loci utique efflagitat rationem concessivam; quæ quamdiu abest, vitium logicum residet. dicitur autem quod dicendum est reposito ‚etsi', quod vi concessiva præditum facili opera erui potest ex tradito ‚et'. scribæ enim oculis ab exeunte ‚i' (ets*i*) ad iniens (*i*lli) aberrantibus syllaba ‚si' interire potuit. quid? quod Wesenberg ipse emendationi meae

---

[51]) cf. em. alt. p. 18.

patrocinatur. dicit enim:[52]) ‚Cælius, cur ‚nulla magno opere exspectatio sit', duas has causas addit: 1, „rumores de comitiis Transpadanorum illi *quidem* (!) Cumarum tenus caluerunt, *sed* (sic!) Romam cum venissem . . . . accepi"[53]) (= *cum* r. i. caluissent, *tamen* e. q. s.) etc.' in eandem prorsus sententiam disputat Benedict.[54])

VIII, 5, 1.

Caelius Ciceroni in Asiam provinciam profecto[55]) scribit se vehementer animi pendere, quod ad pacem provinciæ finitimarumque regionum attineat. deinde eius rei causam afferens pergit: ‚nam si hoc modo rem[56]) moderari possemus, ut pro viribus copiarum tuarum belli quoque exsisteret magnitudo et quantum gloriæ triumphoque opus est, assequeremur, periculosam et gravem illam dimicationem evitaremus, nihil *tam* esset optandum.

Wieland haec in vernaculum sermonem ita vertit:[57]) „Ja, wenn wir's so einrichten könnten, dass die Grösse des Krieges im gehörigen Verhältnisse mit der Stärke deines kleinen Heeres stünde, und wir nur gerade soviel erhielten, als für deinen Ruhm und zu einem Triumph nöthig ist, ohne dass wir uns der Gefahr eines entscheidenden Treffens auszusetzen brauchten, so wäre nichts wünschenswertheres."

duae res in his scrupulum mihi movent. ac primum quidem molesta subest inconcinnitas[58]) dicendi, quae eo minus ferri posse videtur, quod forma asyndetica ambiguitatem infert importunam[59]). est autem enuntiatum ‚periculosam — evitaremus' coordinatum enuntiatis præcedentibus per ‚et' copulatis iisque oppositum. ergo

---

[52]) cf. em. alt. p. 18.

[53]) miror, quod quasi propria Cælii venditat hæc verba, quæ rectam sane constituunt necessitudinem. quæ autem tradita sunt. vitiositatis speciem præ se ferunt.

[54]) cf. l. l. p. 668.

[55]) cf. Abeken Cic. in seinen Briefen. Hannover. 1835. p. 195 sq.

[56]) sic lego ex Bengelii coniectura cum Baitero.

[57]) cf. l. l. vol. III, p. 182.

[58]) antiquitus eam tollere studuerunt addita particula ‚que'.

[59]) sic Benedict (l. l. p. 693) enuntiatum primarium a ‚periculosam' incipere vult eique adnecti asyndetice verba ‚nihil etc.', asperitate excusata sermonis Cæliani acerbitate. at quam lubrica hæc!

adversativa ratio particulam necessario requirit adversativam ‚autem'. ‚que', quod post ‚periculosam' in libris quibusdam veteribus exstat, ne refingam, postulat eadem ratio adversativa.

alteram vero offensionem affert particula ‚tam', quae quid sibi velit, vix eruas. quaeret quisque, cum ‚tam' vim habeat comparativam, quae sit res, qua nihil magis optandum sit. ultro inde vel obiter legentibus obrepit sensus imperfectae orationis et quae continuanda sit per ‚quam'. eundem hiatum sentimus interpretationem vernaculam perlustrantes quam supra praemisi. superiora quo magis intellegas, subiciam sequentia. ‚nunc si Parthus movet aliquid, scio non mediocrem fore contentionem. tuus porro exercitus vix unum saltum tueri potest. hanc autem nemo ducit rationem, sed omnia desiderantur ab eo, tanquam nihil denegatum sit ei, quominus quam paratissimus esset, qui publico negotio præpositus est.' quae Wieland sic transtulit: „Aber wie die Sachen stehen, weiss ich, dass, wenn die Parther etwas unternehmen, der Handel ziemlich ernsthaft sein wird, zumal da deine ganze Kriegsmacht kaum hinreicht, einen einzigen Pass zu behaupten. Aber darnach fragt hier niemand; man erwartet alles von dem, welchem ein öffentliches Geschäft aufgetragen ist, und bekümmert sich wenig darum, ob man ihn auch in den Stand gesetzt hat, allem, was begegnen kann, gewachsen zu sein."

bellum igitur, quod a Parthis Ciceroni amico imminere videtur, animum angit Cælii. non enim pro viribus copiarum, quae vix unum saltum tueri possunt, belli erit magnitudo, sed, si quid Parthus movet, cum periculosa et gravis erit dimicatio tum evitari non poterit. hanc autem nemo habet rationem, sed omnia ab imperatore desiderant, tanquam omnia ei suppeditaverint, ut quam paratissimus sit. queritur, ut videre licet, de copiarum paucitate. viden iam, quid optandum sit? quae quam recte sint disputata, cognoscas ex eiusdem libri ep. 10, 1 et 3:[60]) (‚ego quidem praecipuum metum, quod ad te attinebat, habui, qui scirem, quam *imparatus ab exercitu* esses, ne quod hic tumultus dignitati tuae periculum afferret: nam de vita, si *paratior ab exercitu* esses, timuissem; nunc hæc *exiguitas copiarum* recessum, non dimicationem mihi tuam præsagiebat'; et ‚novis magistratibus autem, si Parthicum bellum erit, hæc causa primos menses occupabit. sin aut

---

[60]) cf. Abeken l. l. p. 197; 202; epp. ad fam. XV, 1, 4; ad Att. V. 18, 1; 2.

non erit istic bellum, aut tantum erit, ut vos aut successores *parvis additis copiis* sustinere possint, Curionem video se dupliciter iactaturum‘). iam si quae ratio esset adverbii ‚tam‘, Caelio dicendum erat: ‚nam nihil tam optandum *est, quam ut rem ita moderari possimus*, ut etc.‘ at vero status irrealis enuntiatorum condicionalium (si . . . . *possemus*; optandum *esset*) eum constituit sensum: nam hoc modo rem moderari non possumus,[61]) ut pro viribus copiarum exsistat belli quoque magnitudo et quantum gloriae triumphoque opus est, assequamur, periculosam autem et gravem illam dimicationem evitemus; ergo aliquid tam optandum est. at quam elumbis et prava eiusmodi sententia! quae quidem insulsitas tollitur lenissima vel nulla potius mutatione adhibita. legas, quaeso, ‚nihil *iam* esset optandum‘ et vertas: „ . . . . dann wäre *nichts mehr* zu wünschen.“ sic demum candido splendore renident verba Caeliana.

IX, 24, 1.

Paetus superiore quadam epistula Ciceroni Rufum quendam commendasse videtur. in epistula quidem, de qua quaestio est, Cicero ad superiorem quandam respondet affirmans, se Rufo, quoniam salus sua ei fuerit curae, quod ex Paeti et ex ipsius Rufi appareat litteris, non posse non esse amicum. quam ob rem Rufum apud se non egere commendatione. iam orationis continuatio est haec: ‚utinam ea fortuna rei publicae sit, ut ille *meum* gratissimum possit cognoscere‘!

vocem ‚meum‘ mendosam ideoque immutandam esse prima intuenti appareat. de emendatione autem ambigitur, quoniam, ut mihi videntur, non perspexerunt, qua in re totius loci cardo vertatur. non igitur mirum, si Wesenberg[62]) contentus est solo pronomine ‚me‘; non, inquam, mirum, si idem v. d., incertus, unde natum sit ‚meum‘, æquam probabilitatem tribuit coniecturis Orellii, ‚me quam‘, Baiteri, ‚me unum‘, Klotzii ‚meum animum‘, suis ipsius ‚me omnium‘, ‚me virum‘, ‚me hominem.‘ Baiterianæ patrocinium nuper suscepit Krauss[63]) pluribusque exemplis eam con-

[61]) etiam verba sequentia: ‚nunc si Parthus etc.‘ eandem constituunt rationem.

[62]) cf. em. alt. p. 32.

[63]) cf. Krauss: M. Tull. Cic. epp. emend. Lips. 1869, p. 29 sq.

firmare studuit, ratione palæographiæ tantummodo habita. quid vero spectandum quidque, ab illis neglectum, maximi momenti sit ad iudicium faciendum, ex ipsius epistulae argumento atque consilio repeti oportet. præmonere autem mihi liceat, recte sensisse criticos ex una voce ‚meum' duabus factis [64]) ‚me. um', eliciendum esse quid scripserit Cicero. sic et ipse credo priorem partem fuisse ‚*me*', syllabam ‚um' autem terminationem substantivi ‚*amicum*'. ad eam, præcedente littera ‚c', eodem pæne ductu orta atque ‚e' (me), scriba aberrare potuit idque eo facilius, cum exipiat syllabam ‚mi', quæ et ipsa similis est voculæ ‚me'. sic surripi potuit ‚amic'. hæc autem est rerum condicio epistulæque consilium hoc: Paetus Ciceroni iterum [65]) commendaverat Rufum eique Ciceronis amicitiam petiverat professus quam bene de eius salute meritus esset.[66]) inde Cicero iterum, puto, profitetur se Rufo non posse non esse amicum. Paetus autem amicitiae iam promissae specimina ac pignora a Cicerone desiderasse putandus est. per temporum autem iniquitatem et rei publicae miseriam[67]) Ciceroni non licebat Rufo quidquam praestare. consentaneum vero Ciceroni nihil magis fuisse in votis, id quod docet exclamatio, quam ut amicitiæ modo sollemniter promissae specimen edere factisque Paeti preces æquare possit, ut Rufus cognoscat re vera gratissimum se ei esse amicum, non modo verbis. denique etiam aliud me movet, ut refingam ‚amicum'. inveni enim oppositionem quandam, quae orationis gravitatem exacuat, inter ‚istum amicum tuum' et ‚non possum ei non amicus esse' initio epistulae. eandem etiam infra intercedere voluisse Ciceronem arbitror. dicit enim eodem pæne modo ‚iste tuus amicus'. bene his respondent, quae volo, ‚me amicum'.

IX, 26, 1.

Cicero quid ipse debeat facere ex Paeto amico quaerens eum respondentem fingit: ‚vivas in litteris.' ad haec Cicero: ‚an quidquam me aliud agere censes aut *possem* vivere nisi in litteris viverem'? sic Wesenberg ex cod. Med., ut videtur, auctoritate.

---

[64]) cf. Krauss l. l. p. 29.

[65]) cf. huius epistulæ verba: ‚de quo iterum iam ad me scribis'.

[66]) cf. verba: ‚et ex tuis litteris e. q. s'.

[67]) quæ qualis fuerit, optime cognoscas ex ep. ad fam. XII, 5 eodem fere tempore data. cf. etiam Abeken l. l. p. 398 sqq.; ep. ad fam. X, 5, 3.

editores Turicenses itemque Lipsienses sic interpungunt: ,an quidquam aliud me agere censes? aut possem vivere, nisi in litteris viverem?' quae quidem discrepantia sane perexigua offensionis suspicionem legenti mihi iam obortam confirmare augereque visa est. sententiam enim adeo inconcinnam dissolutamque habuisse videntur, ut enuntiatum in duas partes divellendum sibi esse existimarent. duae autem res scrupulum mihi movent depravationis. ac primum quidem particula ,aut' legibus grammaticis repugnare videtur, cum ex conformatione, quam exhibet cod. Med. ,introducat interrogationem adversativam. altera difficultas in asperitate inconcinnitateque orationis posita est: subiectum ex altera persona in primam repente transilit; structura mutatur; mutatur denique modus. at quantulae audaciae vel operae est, orationem omnibus numeris absolutam Ciceronique propriam constituere, si lenissima vel potius nulla mutatione adhibita legimus: ,an quidquam me aliud agere censes aut *posse* vivere nisi in litteris viverem'. quae quidem adeo in promptu sunt, ut iam Wieland in hanc sententiam interpretatus sit.[68]) littera ,m' erasa, quæ facillime potuit addi, iuste decurrit structura, sensu nihil mutato.

X. 23, 7.

Plancus, qui adversarius ad Isaram flumen steterat contra Antonium et Lepidum, epistula Cularone — quod oppidum Galliae Narbonnensis, ad Isaram situm, nunc Grenoble vocatur — data, quid adhuc fecerit, exponit indeque sub finem a Cicerone petit, ut stantem se in acie vigilanter nervoseque subornet, ne qua desit rei publicæ saluti. postremo amorem suum erga Ciceronem professus ,opto', ait, ,ut mihi liceat *iam* praesenti pietate meorum officiorum tua beneficia tibi facere iucundiora.'

in his etiamsi nemo adhuc, quod sciam, offendit, tamen facere non possum, quin haeream. neque enim perspicuum est, quid sibi velit particula ,iam', quae sit eius ratio ac natura. labem invaluisse puto; nec ita procul abest medicina. nempe sententiæ necessitati parere mihi videor scribendo ,etiam', cuius primam syllabam ,et' præcedente ,at' (liceat) abreptam esse non caret specie. ,etiam' ut recudam, monet me totius loci sensus, qui is

[68]) cf. l. l. vol. V, p. 204.

esse debet: asseverat Plancus indies cariorem se habere Ciceronem propter summa in se merita, eaque quotidie magis exacuere ipsius sollicitudines. amico cum nihil amplius præstare possit, ut absens bellicisque negotiis distentus, cumque parum illud esse sentiat prae amici meritis, optasse putandus est, ut etiam praesenti sibi liceat officiorum pietate abunde Ciceroni satisfacere. quæ quam vera sint, testatur proximæ epistulæ initium, quod est: ,facere non possum, quin in singulas res meritaque tua tibi gratias agam, sed mehercules facio cum pudore; neque enim tanta necessitudo, quantam tu mihi tecum esse voluisti, desiderare videtur gratiarum actionem neque ego libenter pro maximis tuis beneficiis tam vili munere defungor orationis et *malo præsens* observantia, indulgentia, assiduitate memorem me tibi probare. quod si mihi vita contigerit, omnes gratas amicitias atque pias propinquitates . . . . vincam.' viden gradationis significationem? ubi tandem illud ,iam'?

X, 34, 3.

Lepidus imperator ex Ponte Argenteo — quae statio sita erat in Gallia Narbonnensi maritima ad flumen Argenteum — ubi castra posuerat, litteras scribit ad Ciceronem, in quibus est: ,etsi omni tempore summa studia officii *mutuo* inter nos certatim constiterunt pro nostra inter nos familiaritate et proinde diligenter ab utroque conservata sunt, tamen non dubito, . . . quin nonnulla de me falsis rumoribus a meis obtrectatoribus me indigna ad te delata sint.

quæ cod. Med. lectio, ut editoribus Turicensibus ac Lipsiensibus integra, ita Lambino ac Wesenbergio saucia est visa. et profecto, scrupulum alicui inicere potest moles adverbiorum seu terminorum adverbialium ad ,constiterunt' pertinentium, cum tamen genetivus ,officii' substantivo ,studia' nude appositus a tanta ubertate mirum quantum discrepet sterilitate egestateque dictionis. mire quoque dici puto ,mutuo consistunt studia.' quæ quidem durities sermonis Lambinum de veritate huius lectionis sollicitaverit. nec inscite sensit, notionem mutui coniungendam esse cum voce ,officii'; [69]) in eo autem erravit, quod cum necessitudinem, quae

[69]) legit enim ,officiaque mutua'.

genetivo ,officii' cum nominativo ,studia' intercedit omnique caret offensione, contra cod. auctoritatem nulla necessitate coactus sustulit, tum particulam ,que' inseruit, quae quomodo interciderit rationem vix invenias ullam. Wesenberg autem emendatione omnino non prolata crucis signo ut suspectum notasse hunc locum satis habuit nec dissimulavit acceptum sibi non esse Lambini commentum. ego vero perfacili ratione locum perpurgasse me confido littera ,o' vocis ,mutuo' in ,i' mutata. ac lectio ,mutui officii' multifariam commendatur. primum enim siccitas dictionis aeque ac molesta terminorum adverbialium affluentia aliquatenus tollitur, necessitudine, quæ inter genetivum ,officii' et nominativum ,studia' ex cod. fide intercedit, non soluta. deinde præter palæographiam sermonis quoque consuetudini consulitur. ut enim paucis exemplis contenti simus, cum plura hic illic occurrant alia, provoco ad epp. ad fam. XI, 22, 1: ,cum Appio Claudio C. f. summa mihi necessitudo est multis eius *officiis* et meis *mutuis* constituta'; XIII, 4, 5: ,existimes velim . . . . sed etiam *officia* magna et *mutua* nostra inter nos esse'. XIII, 55, 2: ,peto abs te pro nostra coniunctissima necessitudine plurimisque *officiis* paribus ac *mutuis* ut e. q. s.' XIII, 65, 1: cum P. Terentio Hispone . . . mihi summa familiaritas consuetudoque est multaque et magna inter nos *officia* paria et *mutua* intercedunt'; XV, 4, 13: ,agam iam tecum familiariter, ut est et studiis et *officiis* nostris *mutuis* et summa amicitia dignum et necessitate etiam paterna.'

XIII, 29, 5.

Cod. Med. hæc praebet: ,te, mi Plance, pro paterna necessitudine, pro cursu nostro totius vitae simillimo rogo et a te ita peto, ut maiore cura, maiore studio *nullam* possim, ut hanc rem suscipias, meam putes esse, enitare, contendas, efficias, ut mea commendatione, tuo studio, Caesaris beneficio hereditatem propinqui sui C. Capito obtineat.'

corruptelæ expressa vestigia præ se fert pronomen ,nullam'. fac enim substantivum ,rem' deesse,[70]) fac subaudiri posse ex sequentibus, tamen verbum, ex quo pendeat accusativus ,nullam',

[70]) vide quæ dicit Wesenb. in em. alt. p, 44.

deesse non potest. hoc pæne vidit Wesenberg: hoc docent exempla nemini unquam suspecta. conferas, quæso, epp. ad fam. XIII, 8, 3: ‚ego te plane rogo atque ita, ut maiore studio, iustiore de causa, magis ex animo *rogare nihil* possim'; 17, 3: ‚sic tibi eum commendo, ut neque maiore studio *quemquam* neque iustioribus de causis *commendare* possim'; 60, 2: ‚eum tibi ita commendo, ut homines grati et memores bene *meritos* de se *commendare* debent'; 79: ‚ . . . . commendo sic tibi, ut maiore studio *nullos commendare* possim'. verbum repetitum esse vides, sicubi exhibetur obiectum.[71]) age, ais, inferamus infinitivum ‚petere', inferamus etiam ‚rem.' hoc idem proponit Wesenberg, qui, cum editoribus Turicensibus et Lipsiensibus dissentiens tanquam genuinam exhibentibus lectionem ‚nullam', triplicem promulgat emendandi rationem. quo priusquam accedam, e re mihi esse videtur, eorum conamina recensere, qui illum præierunt. en adest Lambinus commendans ‚non', quod, quamvis licet sæpissime occurrat in similibus exemplis, tamen omni probabilitatis specie destituitur, quia non apparet, quomodo in ‚nullam' depravari potuerit. Ernesti teste Orellio protulit ‚nullo', quod vix quisquam recipere ausit, cum dure frigideque dictum vel abhorreat ab usu Ciceroniano. inspicias, quæso, quæ dicuntur in epp. ad fam. XII, 24, 3: ‚T. Pinarium . . . . tanto tibi studio commendo, ut maiore non possim'; XIII, 23, 2: ‚hunc tibi ita commendo, ut . . . maiore studio commendare non possem . . '; 38: ‚sed tamen . . . tibi sic commendo, ut maiore studio commendare non possim'; 45: ‚tibi commendo non minore studio, quam'; 66, 1: ‚ . . . ut maiore cura, maiore animi labore petere non possim'. nullum vero exemplum in epistulis commendaticiis inveni, quod illius commentum stabiliat. idem v. d. ex Wesenbergii testimonio scripturam ‚nihil' proposuisse dicitur. quæ quidem æque violenta ac ‚non' iisdem de causis reprobanda est ac lectio tradita. his absolutis iam redeo ad Wesenbergium. atque ut concedam, per se deesse posse verbum ‚petere', ut docet similis locus in ep. ad fam. XII, 24, 3, tamen, ut supra probavi, verbo repetito opus est, si quis obiectum retinet. cadit igitur Wesenbergianum ‚nullam rem possim',[72]) in quo auctor ipse adeo non acquievit, ut alteras emendationes protulerit duas: ‚nullam

[71]) ficticia igitur, quæ l. l. dicit Wesenberg: ‚petere, quod tamen audiri potest. cf. 39 (?!) XII, 24, 3'.

[72]) cf. em. alt. p. 44 infra.

rem petere possim' et ‚nullam petere rem possim'. hoc perbene fecit ‚quod et verbo et substantivo, quo pertinet ‚nullam', suppletis sermoni Ciceroniano nescio an inscius satisfecit. studet sane inserendi facilitatem probare nec non analogiam affert. sed ea magis nos moveat, ut scribamus ‚nihil'. attamen cum obiecto omnino non opus sit,[73]) non vereor prorsus aliter conformare, quae fœdata sunt. neque ita difficilem mutationem admisisse mihi videor pro ‚nullam' legens ‚*nulla in re*:' syllaba enim ‚re' sequente simillima ‚ro' intercidere, præpositio ‚in' in ‚m' abire potuit. atque ut simile quid dictum afferam, est in epp. ad Att. II, 17, 2: ‚ἀδιαφορία, qua *nulla in re* tam utor, quam in hac civili et publica'; 20, 3: ‚cum . . . varietas *nulla in re* sit'.

XIV, 1, 7.

Epistula maximam partem ad Terentiam uxorem missa a Cicerone, Dyrrhachii exsulante, per solitam formulam, qua quis valere iubetur, ad finem perducta hanc clausulam habet subnexam: ‚Dyrrhachium veni, quod et libera civitas est et in me officiosa et proxima Italiæ, sed si me offendet loci celebritas, alio me conferam, ad te scribam'.

in hoc loco hæsit Ernesti, editionem Neapolitanam secutus, structurae atque sententiæ, ni fallor, inconcinnitate, quæ vel prima videnti satis conspicua sit, offensus. nec vero quidquam iuvamur particula ‚et' ante ‚ad' inserta. rei enim providetur externæ tantummodo, non item intestino cogitationum nexui. neque enim explicatur, quid valeat illa clausula, quæ, ab omni conexu cum antecedentibus divulsa, non est nisi otiosum ac languidum additamentum. an opus fuit, Ciceronem disertis verbis asseverare, se litteras etiam post discessum ad suos daturum esse? immo. necessitudinem, quam vel arctissimam inter illas periodi partes intercedere voluit Cicero, ut inferret orationisque hiatu expleto filum necteret, Wesenberg varia proposuit: [74]) — ‚conf. ad te*que* scr.'; ‚c. *atque* ad te scribam'; ‚*quod cum faciam*, ad te scr'.; ‚c: *quo* ad te scr.' — quæ tamen propter ipsam varietatem, pars insuper propter violentam arbitrariamque ac difficilem mutandi rationem lectori a primo

[73]) cf. epp. ad fam. XIII, 23, 2; 38; 66, 1.

[74]) cf. appar. crit. ad h. l. et em. alt. p. 48.

suspicionem afferunt improbabilitatis. quamquam his corrigendi conaminibus licet pravis id quidem patefactum est, mancum esse hunc locum medicinæque adhuc egere. nec inscite sensit Wesenberg addendum esse aliquid, quod tempus consiliumque indicet scribendi atque in intimam rationem cum discessu Ciceronis redigat illam clausulam. quod quidem cod. memoriam repetenti facile est ad eliciendum. fuisse enim conicio in archetypo: ‚sed si offendet me loci celebritas, alio me conferam; *ante* ad te scribam'. sic demum in iusta luce ac ratione collocari mihi videntur verba ‚ad te scribam'. ex more autem Ciceronis fuisse, ut, priusquam alio se conferret, suos necessariosque de proposito suo certiores faceret, permulta docent exempla. nec id mirum! eius enim, quippe qui summa curiositate[75]) esset, summopere intererat, quid quocunque loco rei publicæ gereretur,[76]) præsertim cum de restitutione eius ageretur. quare cum alio migraturus esset, ad illos antea ei scribendum erat, ut scirent, ubi esset, ubi ipsi nuntiive cum epistulis, quibus nihil gratius, illo potissimum tempore, ei accidere poterat, eum convenirent. scribit autem in epp.] ad Att. II, 8, 2: ‚sed cognosce itinera nostra, ut statuas, ubi nos visurus sis'; III, 14, 2: ‚hinc (sc. Thessalonica) nisi aliquid a comitiis audierimus, nos in Asiam convertemus neque adhuc stabat, quo potissimum, sed scies'; III, 21: ‚mihi autem erat in animo iam, ut *antea ad te scripsi,* ire in Epirum'; III, 22, 1: ‚sed iam cum adventare milites dicentur, faciendum nobis erit, ut ab eo (sc. Plancio) discedamus; *quod cum faciemus, statim* ad te mittemus, ut scias, ubi simus'; ibid. § 4: ‚inde (Dyrrhachio) *cum ad te me convertam,* faciam ‚ut scias, tuque ad me velim omnia quam diligentissime, cuicuimodi sunt, scribas'; V, 11, 4: ‚ego has (sc. litteras) pridie Nonas Quinctiles *proficiscens* Athenis dedi'; XVI, 11, 6: ‚ob hæc ego citius Romam quam constitueram; *simul et constituero,* scribam'. ‚ego me, *ut scripseram,* in Pompeianum non abdidi'; ad fam. IX, 23: ‚heri veni in Cumanum; cras ad te fortasse, sed cum certum sciam, faciam te *paullo ante* (sc. discessum) certiorem'. ex his utique exemplis, maxime ex illa ep. ad Att. III, 22, 4, quæ eodem fere tempore Dyrrhachio data easdem fere continet sententias, summo iure colligere licet, Ciceronem uxori significare, se ante discessum facturum esse, ut sciat, quo se

[75]) cf. quæ a me disputata sunt in nota 29.

[76]) cf. ep. ad Att. V, 15, 3: ‚quare . . . . , cum cetera tum res publica cura ut mihi nota sit.

converterit. ad sensum igitur expediendum hæc loci explicatio conformatioque plurimum valet. accedit iam quasi cumulus, quod ratio corruptelæ, id quod efflagitant critici,[77]) vel maxime illustratur. quid? adverbium ,ante' nonne facillime interire potuit sequentibus ,ad te', [78]) ut quasi haplographiam dixeris, quæ litteris mandata sunt.

XV, 2, 6.

Ex itinere, quod e Cappadocia, ubi tum regnabat Ariobarzanes (eius nominis tertius), in Ciliciam faciebat Cicero proconsul, litteras ad senatum misit, quibus quid adhuc egerit, copiosius exponit. dicit autem, quoniam populo senatuique[79]) Romano eius regis salus regnique incolumitas magnæ curæ sit, auxilium fidemque se suam pollicitum monuisse regem, ut interitus paterni memor summopere caveret insidias, si quæ ab adversariis pararentur; quas quidem illum negasse fieri. postero autem die regem, fratre paternisque amicis maioribus natu comitantibus, in castra reversum fidem suam implorasse, quod ad se indicia manifesta insidiarum sint delata.

ac primum quidem ,manifest*a*' lego ex coniectura, quæ scribenti in stilum mihi provenit nihil quaerenti. cod. Med. vero præbet manifest*arum*'. postea hanc emendationem inveni in mnemos. vol. VII. 1858. p. 243 propositam a Kleynio[80]). verumtamen operæ pretium mihi esse videtur, accuratius de ea agere.

sunt enim permulta, quæ in eius patrocinium vocari possunt. ac primum in § 5 hæc leguntur verba: ,atque ille primo . . . . ita mecum locutus est, ut *nullas insidias* neque vitæ suæ neque regno diceret se aut *intellegere fieri* aut etiam *suspicari*'.[81]) cum his congruunt, quæ in ep. 4, 6 Cicero ad Catonem scribit: ,regem . . . . . præsentibus insidiis *necopinantem* liberavi'. qui, quæso, manifestae vocari possunt illae insidiae? accedit, quod

[77]) cf. Klotz ind. lect. Univ. Lips. 1857. p. 4.

[78]) cf. ibid. p. 23, et quæ citavi Buecheleriana ex mus. rhen. vol. XI p. 512 et 518. (dissert. p. 6).

[79]) cf. Hirschfeld in ,Hermes' vol. V, p. 298 sq.

[80]) repetita est in eiusdem viri obss. crit. etc. p. 20.

[81]) cf. Abeken l. l. p. 201.

insidias sibi paratas esse postero demum die nuntiat rex ab amicis ac fratre de iis certior factus, qui ante adventum Ciceronis propter metum reticuerant, quæ deprehenderant insidiarum vestigia. deinde enuntiata relativa (§ 6): ‚quæ essent ante adventum meum occultat*a* (sc. indicia)' et ‚qui *ea* (sc. indicia) patefacere possent' luculenter declarant manifesti epitheton non convenire nisi ad indicia. ergo indices manifesta indicia detulisse dicendi sunt. denique quæ leguntur in § 7: (‚cumque mihi rex *patefactis iam insidiis* non egere exercitu populi Romani . . . . videretur') sententiam meam confirmant.

huic argumentationi non repugnat ea res, quod bis sermo est de ‚præsentibus insidiis'. cf. § 8: ‚regem meus adventus praesentibus insidiis liberasset' et XV, 4, 6: ‚regem . . . praesentibus insidiis necopinantem liberavi'. præsens enim significat id, quod in promptu ideoque re vera [82]) est, velut ‚præsens pecunia' (baares Geld). non igitur idem est ac manifestus. itaque praesentes insidiæ non sunt manifestae, sed eæ, quæ opponuntur ficticiis. atque adeo insidiarum propria esse videtur dissimulatio. [83]) *manifestis* igitur *indiciis* delatis *præsentes* insidiæ regi *necopinanti patefactæ* sunt.

his absolutis iam ad alteram disputatiunculæ partem transeamus. sic enim progreditur oratio: ‚quæ cum esset locutus, monui regem, ut omnem diligentiam ad se conservandum adhiberet amicosque *in* patris eius atque *iudicio* probatos hortatus sum, regis sui vitam defenderent.'

cod. Med. verba ‚amicosque *in* patris eius *atque* iudicio' gravissimæ corruptelæ manifestam sedem esse nemo non vidit. Popma, quem secuti sunt Turicenses et Lipsienses, eiecta vocula ‚in', legendum existimavit ‚patris eius atque *avi* iudicio.' hoc ‚avi' retinuerunt Lambinus — ‚*iam* patris eius atque *avi* iudicio' — Schottus — ‚patris eius *avique* iudicio' — Klotz, partim cum Lambino, partim cum Schotto faciens — ‚*iam* patris eius *avique*

---

[82]) cf. Tacit. ann. IV, 3: ‚ut pro honestis et *præsentibus* flagitiosa et *incerta* exspectaret (sc. Livia)'; hist. I, 28: ‚anteposuere ceteri quoque tribuni centurionesque *præsentia dubiis* et honestis'.

[83]) cum huius ep. § 7 cf. Tacit. ann. XI, 9: ‚insidiis, quas Gotarzes fratri patefecit'; Ovid. metam. XIII, 153: ‚ipse nitor galeæ claro radiantis ab auro insidias prodet manifestabitque latentem'.

iudicio'. quibus quidem conaminibus Wesenberg æquam probabilitatem vindicare videtur. Cratander denique pariter ac Med. a manu secunda præbet ,*in* patris eius *fide* atque iudicio'.

atque ut inde ordiar, quod plerique Popmæ quasi addicti genetivum ,avi' ad Ciceronis manum referunt, ad hunc errorem eo inducti esse videntur, quod, ut docet ,atque', desideratur genetivus æque ac ,patris' ex ,iudicio' pendens. in superiore vero sententia quoniam dictum est: ,cum p a t e r n i s amicis m a i o r i b u s n a t u', concludendum sibi existimasse videntur, eos etiam a v i fuisse amicos eiusque iudicio probatos. at vero ne tenuissima quidem significatio nedum sermo est de avo.[84]) immo; patris eius tantummodo memoriam revocasse Ciceronem elucet ex § 5: (,ut recordaretur casum illum interitus paterni') et § 6: (,regis sui vitam docti casu acerbissimo patris eius omni cura custodiaque defenderent').

deinde vero perperam fecerunt, qui voculam ,in', quæ, compluries[85]) per epistularum libros corrupta, criticorum crux vere dici potest, temere neglexerunt. neque enim quisquam perspiciat, quomodo illa particula irrepserit. ferri sane non potest, cum et argumentum[86]) et dicendi consuetudo flagitet merum ablativum. quem quidem usum duobus exemplis illustrare mihi liceat: epp. ad Att. VI, 2, 3: ,hominis non nequam sed etiam t u o i u d i c i o p r o b a t i'; ad fam. V, 7, 3: ,sed scito ea . . . orbis terræ i u d i c i o ac t e s t i m o n i o c o m p r o b a r i'. verumtamen illud ,in' plane eiciendum esse non censeo. ac fuit Lambinus, qui aliis plaudentibus pro ,in' reposuit ,iam', quod nullo sane negotio in particulam ,in' depravari potuit. quadrat autem ad totius loci indolem atque argumentum. auget enim orationis vim eique addit, quo vix carere queas. ,fide' denique a manu secunda inculcatum adulterinumque esse, primo obtutu cuique satis appareat. genetivus enim ,patris' non solum genetivi subiectivi, qui vocatur, a ,iudicio' pendentis, verum etiam obiectivi ex ,fide' apti, vices idem gerere debet, præterquam quod difficultas, quam exhibet ,in', restat.

[84]) in eandem sententiam disputat Benedict (M. Tull. Cic. libri XVI epp. tom. II p. 546); egregie autem manifestoque fallitur in eo, quod ,in' ex ,mihi' — ,atque' ex ,æque' prodisse sumit.

[85]) cf. epp. ad Att. II, 7, 2; IV, 1, 4; II, 24, 4; III, 15, 7; IV, 15, 8; V, 11, 6; VII, 8, 5; IX, 11, 4.

[86]) alia ratio subest in ep. ad fam. XII, 5, 3: ,nonnulli invident eorum laudi, quos in r e p u b l i c a p r o b a r i vident'.

ego vero Lambini emendatione, quæ certissima mihi esse videtur, recepta Ciceronis verba restituisse mihi videor legens ,amicosque *iam* patris eius atque *ipsius*[87]) iudicio probatos hortatus sum etc'. ,ipsius' autem necessario suppleri debet, quod suo iudicio rex eos probaverat, cum eos secum duceret cum Cicerone collocuturus eiusque auxilium imploraturus. deinde par est, opinor, sumere eosdem fuisse insidiarum indices eaque ipsa re ita sese regi probasse, ut iudicium eius existimatioque eos sequi deberet. denique putasne Ciceronem regis custodiam iis mandaturum fuisse, nisi iam ipsius quoque regis iudicio probati fuissent? an qui patris iidem etiam filii iudicio probati sunt? ceterum, si palæographiam spectas, emendatio proposita vitii explicationem habet idoneam. ab altero enim ,i' initiali ad alterum aberrasse scribam crediderim iuvantibus similibus ,ius' — ,iud' (ips*ius* — *iud*icio.)

B.

Epp. ad Atticum.

II, 1, 11.

Huius epistulæ in verbis, quæ sunt: ,prognostica mea cum oratiunculis propediem exspecta et *tamen*, quid cogites de adventu tuo, scribe ad nos' contra codd. edd.que fidem atque auctoritatem vitium inesse mihi persuasum habeo. neque enim intellegere possum, quæ sit ratio particulæ ,tamen'. sensum necessitudinemque ut recte perspiciamus verumque assequamur, ab ipsa rerum condicione nobis exordiendum est: Pomponia, Attici soror, Q. Ciceronis uxor, M. Ciceroni nuntiari iusserat, Atticum mense Quinctili Romæ fore[88]), Attici ipsius in litteris alia dies præstituta erat.[89]) ad hanc dierum varietatem spectat verbum in controversiam vocatum. quid igitur magis ex rerum natura, quam ut Cicero, quasi ægre

[87]) de usu huius pronominis cf. Cic. ep. ad fam. IV, 13, 6. Cornel. Nep. Lysand. II, 1. Tacit. ann. I, 11, 13; 44, 11; 55, 9; II, 41, 2; 11; XII, 27, 3; edit. Draeg.²

[88]) cf. eiusdem § finem.

[89]) cf. eiusdem § finem.

ferens varios nuntios, vim orationis mandatique particula augeat postuletque, ut tandem certam adventui diem constituat. ex hac argumentatione, si quid video, per se intellegitur, scribendum esse *‚tandem'*, quo nihil facilius confundi potuit cum vocula *‚tamen'*, sive soni sive apicum habeas rationem.

II, 7, 2.

Hæc epistula, ex Antiati ad Atticum data, maximam partem agit de P. Clodio, qui omni cura cogitationeque id unum spectabat, ut potestatem tribuniciam adipisceretur, adeptus Ciceronem, gravissimum infestissimumque adversarium everteret.[90]) quibus de causis Cæsare et Pompeio faventibus[91]) effecit, ut per C. Herennium, tribunum plebis, ad plebem traduceretur.[92]) hac re plebi sese obligaverat eiusque studia susceperat partesque gerendas. Cæsar vero, fortasse ut Ciceronem sibi reconciliaret,[93]) Clodium a petendo tribunatu prohibiturus ieiunam tabellarii legationem ad Tigranem ei detulit. -- de hac re Atticus in epistula, ad quam Cicero iam respondet, præcipue egisse iudicandus est. iucundum sibi nuntium esse de Clodio, ait Tullius et ab amico petit, ut sibi scribat, quid ille acturus sit. deinde: ‚equidem', inquit, ‚antequam tuas legi litteras, *in* hominem ire cupiebam.'

vocula ‚in', quæ uno consensu exhibetur in codd., manifesta vitiositatis vestigia præ se fert. quod vero Grævius,[94]) contra librorum omnium fidem *τὸ* ‚in' expungere veritus, verecunde commendavit ‚istim', positum pro frequentiore vocabulo ‚istinc', præcipue ideo mihi improbatur, quod per se patet, Roma Clodio esse discedendum ad Tigranem in Asiam legato. editores Turicenses, præeunte Manutio, voculam radicitus exstirpant; iniuria, ut mihi videntur. qui enim factum esse putas, ut in textum irreperet?[95])

[90]) cf. Wieland l. l. vol. I p. 478 not. 34. Abeken l. l. p. 90. Westphal Catulls Gedichte in ihrem geschichtlichen Zusammenhange übersetzt und erläutert. Breslau 1867 p. 41.

[91]) cf. Abeken ibid.

[92]) cf. epp. ad. Att. II, 7, 2; I, 18, 4; 19, 5.

[93]) cf. de tota hac re Abeken l. l. p. 90.

[94]) cf. M. Tull. Cic. epp. libri XVI ad T. Pomp. Att. ex recensione Joannis Georgii Grævii. Amstel. 1684. tom I p. 213 sq.

[95]) idem argumentum profert Klotz (cf. l. l. p. X) ad ep. ad Att IV, 1, 1.

Kahnt quamvis aliam viam [96]) ingressus ad eundem prorsus pervenit exitum. quæ protulit, artificiosius excogitata, quam quibus fidem habeas ullam, silentio præterire et ad notam ablegare lectorem mihi liceat. Kayser voculam ‚in' ex ‚sane' procreatam esse vult, quod sententiam constituit plane alienam ab hoc loco. Wesenberg denique, ut assolet, plures [97]) protulit emendationes, quarum nulla mihi arridet. primum enim ‚istum', quo facile carere possis, inferri non debet coniectura. ac nescio an cum vi quadam ac gravitate nudum [98]) substantivum posuerit Cicero, ut summam significaret contemptionem. particulæ vero ‚ut' et ‚quam' mirum orationi colorem afferre mihi videntur. sic quicunque in hanc rem inquisiverunt, unum præterisse mihi videntur, quod maximi momenti est ad renovandam loci imaginem. Cicero enim non tam cupivisse videtur, ut urbe exiret Clodius quam ut in Asiam abiret, tabellarii munere vilissimo functurus. idque his de causis. primum hac ipsa legatione inani accepta populi gratiam, quam quidem traductione sibi pepererat, amissurus videbatur. nam in plebem adscitus erat, ut tribunatum adeptus plebis susciperet ageretque causam,[99]) quam quidem necessario neglegere debebat procul ablegatus. ad qualem legationem, quam ieiunam! regulos Armeniæ, qui Romam venire solebant patricios salutatum,[100]) idem ille, qui patricio genere ortus plebis studia post traductionem amplecti debebat, salutatum iturus erat, subcontumeliose insuper tractatus, cum ei opima legatione ad exigendas pecunias dicta ieiuna tabellarii data esset. neque enim tam intererat, ut Clodius legaretur, quam ut per speciem legationis relegaretur. qua recusata latores et auspices legis curiatæ (Cæsarem et Pompeium), qua plebeius factus erat, offendere exacerbareque debebat. quare ab Attico petit Cicero, ut Clodium incendat. namque Ciceroni una spes salutis erat istorum inter istos dissensio. iam igitur apparet totius rei cardinem in eo verti, ut in Asiam ablegatus abeat Clodius. vox ‚Asiam' vero perfacile intercipi potuit præcedentibus similibus syllabis ‚as' ‚in'.

---

[96]) cf. l. l. p. 4. probat Boot l. l. adnot. ad h. l.

[97]) cf. em. alt. p. 89.

[98]) similiter usurpatum in ‚incende hominem' (§ 3); quod quidem ita esse etiamsi neges, vocabulum ‚homo' vices certe gerit pronominis tertiæ personæ. quid igitur opus est altero pronomine?

[99]) cf. hui. ep. verba sqq. Manut. l. l. p. 71.

[100]) cf. Graev. l. l.

III, 24, 1.

Cicero, cui lege Clodiana[101]) ex urbe Italiaque eiecto ex rogationis correctione licitum erat, ultra quadraginta milia[102]) esse, Thessalonicam indeque sub finem anni a. u. c. 696, cum milites in Macedoniam adventare dicerentur,[103]) saluti suæ metuens Dyrrhachium se contulerat, unde hanc dedit epistulam. eodem fere tempore datæ sunt epp. ad fam. XIV, 1; 3; ad Q. fr. I, 4. — in ep. ad fam. XIV, 1, 2 ad Terentiam uxorem scribit: ‚sperare nos amici iubent' explicans subinde, qua in re posita sit spes, hisce verbis: ‚si omnes tribunos plebis habemus, si Lentulum tam studiosum quam videtur, si vero etiam Pompeium et Cæsarem, non est desperandum'. ibid 3, 3 est: ‚nunc spes reliqua est in novis tribunis plebis'. ep. ad Q. fr. I, 4, 3 hæc exhibet: ‚de novis autem tribunis plebis est ille quidem in me officiosissimus Sestius et, spero, Curius, Milo, Fadius, Fabricius.[104]) in tribunis igitur designatis cum unicam restitutionis spem habeat, initio huius epistulæ Cicero amicos[105]) vehementer reprehendit, quod eorum consensu consulum designatorum provinciæ ornatæ sint,[106]) priusquam novi tribuni plebis magistratum inissent. graviter se esse commotum, quod vel perexigua illa spes, quæ fuerit, sublata esse videatur tribunorum animis abalienatis; eosque suo iure succensere, quod, quamquam ipsius causam susceperint, ab amicis ad consilium non adhibiti, omnem vim sui iuris consulibus ornatis amiserint. neque ut consules impedirent, sed ut ad ipsius causam eos adiungerent, tribunos voluisse suam esse potestatem de consulibus ornandis.

iamiam codd. et edd. miro consensu pergentem faciunt Ciceronem: ‚*ita* vereor, ne *et* studia tribunorum amiserimus *et*, si studia maneant, vinclum illud adiungendorum consulum amissum sit'.

in his quamvis vulneris speciem non agnoverint alii, tamen ex duobus vulneribus ægrotare scripturam cognoscemus. ac primum quidem dicendi inconcinnitas, quæ exhibetur particula ‚ita', tollenda

---

[101]) cf. Abeken l. l. p. 106 init. Wieland l. l. vol II, p. 16; 29 sq.

[102]) cf. ep. ad Att. III, 4, 1. Abeken ibid. p. 110.

[103]) cf. ep. ad Att. III, 22, 1.

[104]) cf. Abeken l. l. p. 123.

[105]) cf. Wieland l. l. vol. II, p. 106 not. **.

[106]) cf. Abeken l. l. p. 123 infra. Boot not. ad h. l.

est. atque respicientibus rationem, quæ huic sententiæ intercedere debet cum antecedentibus, dubium esse non potest, quin recudenda sit consecutiva particula ,ita*que*', cuius ultima syllaba facillime exteri potuit sequente ,*ve*reor'.

invenimus vero etiam in mss. voculam ,et' bis positam. ratio autem copulativa plane aliena est ab huius loci indole ac natura. nam si, quæ supra pluribus disputavi de argumento epistulæ, probe accurateque consideraveris, disiunctivam potius particulam exigi videbis. ac recte quidem Wieland:[107]) „Ich befürchte *also*, wir haben uns *entweder* um die Unterstützung der Tribunen, *oder*, wenn uns diese ja bleiben sollte, um ein Band gebracht, womit wir das Interesse der Consuln an das unsrige knüpfen konnten." hæc ita esse luce clarius indicat enuntiatum condicionale ,si studia maneant', quod, aperte oppositum sententiæ antecedenti, docet duas statui condiciones: alteram, ut tribunorum studia amittantur; alteram, ut maneant. quas quidem, ut ipsarum fert natura, iungi non licet particula copulativa ,et'. oppositionem disiunctionemque ut statuamus, perducimur etiam iis, quæ infra leguntur: ,sed vereor, ne hos (sc. consules designatos) tamen tenere potuerimus, tribunos amiserimus'. alterum utrum igitur, non utrumque potest accidere, ut *aut* tribunorum studia amittantur, *aut*, si maneant, consules non adiungantur.

iam venio ad quæstionem de verbis: ,sed vereor, ne hoc *tamen* tenere potuerimus, tribunos amiserimus', quæ Wieland[108]) perperam sic vertisse mihi videtur: „Und *doch* fürchte ich, wir werden die Tribunen verloren haben, *ohne* auf die Consuln *sichere Rechnung machen zu können.*" quæ tradita sunt, ad verbum rectius sic vertas: „Aber ich fürchte, dass wir die Consuln *dennoch haben gewinnen können*, die Tribunen (dagegen) verloren haben." quid, quaeso, in his sibi vult illud ,tamen' (dennoch)? is enim verus sententiarum nexus non esse non potest: concedo difficile fuisse palam dicere sententiam contra consulum commoda: concedo idem difficile fuisse non obsequi Lentulo vel Metello; sed vereor, ne consules tenere potuerimus, tribunos amiserimus. ex ornatis autem provinciis cum nascantur consulum studia, non adversa, immo vel maxime consentanea sunt factis amicorum. quare particula ,tamen' plane

[107]) cf. l. l. vol. II, p. 107.

[108]) cf. l. l. p. 108.

relegenda est. quam quidem sequente ,tenere' falso ortam esse crediderim. quae iam evadit enuntiati forma, non aliena est ab usu Ciceroniano, cuius illustria exempla sunt epp. ad fam. VI, 6, 4; VII, 2, 3; 28, 3; XV, 2, 7.[109])

IV, 1, 4.

Cicero ab exsilio Romam reversus nihil antiquius habet, quam ut rerum suarum condicionem describat Attico, cuius consiliorum ad colligendas restituendasque reliquias suas indigeret. atque in hunc modum disserit: ,nunc etsi omnia aut scripta esse a tuis arbitror aut etiam nuntiis ac rumore perlata, tamen ea *in*scribam brevi, quae te puto potissimum ex meis litteris velle cognoscere'.

lectionem ,inscribam' manifesto vitiosam plerique praebent codices et illi quidem melioris notae nec non editiones vetustissimae. quae vitiositas cum mature cognosceretur, ii qui codd. Helmstadiensem et Ambrosianum 17 exaraverunt, item qui postea epistulas ediderunt, verbum ,inscribam' mutandum sibi esse existimarunt. atque alii litteris mandarunt ,ea scribam', temere delentes syllabam ,in'; alii, depravationis vestigia subesse rati, legendum censuerunt ,ea tibi scribam'. ac recentiorum editorum alteri alterum praetulerunt. nuper Wesenberg, utrum praestet nescius, de suo ipse coniecit ,conscribam',[110]) cuius de probabilitate vel ipsi non satis constat. in hac igitur tanta varietate atque ambiguitate, ut verum inveniamus optimorum codd. memoria repetenda est ad rationis normam artem criticam dirigentibus. ac recte quidem fecerunt, qui ,in' non tam pro inutili additamento neglegentis scribae quam pro mutilationis indicio habuerunt. quominus vero emendationum propositarum unam alteramve adsciscam, palaeographicae mihi officiunt dubitationes. sensus enim sine controversia patitur additamentum, si minus ,con', at certe ,tibi'. ipse autem diu multumque meditatus, quid in locum particulae

---

[109]) cf. quæ disputat Kühner: Schulgr. d. lat. Spr. Hannover. 1850.[3] § 138 b. 2 c. p. 351.

[110]) hoc Boot l. l. Thierschio vindicans respuit, quod repugnare videtur voculæ ,brevi'. de Gronoviano ,infra', ut ab omni specie destituto, non est cur disseram. subinde enim iam incipit scribere proposita.

‚in' substituendum esset, incidi in vocabulum ‚iam', quod sæpius in ‚in' degenerasse constat.[111]) neque ita absonum est, orationem, quæ orditur a ‚nunc', enuntiato concessivo interpellatam, denuo Ciceronem excepisse continuasseque per cognatam particulam ‚iam'. de facilitate denique emendationis cuique persuasum esse confido.

IV, 46, 2.

Epistula ex Antiati data, cuius caput est, ut duos Atticus Ciceroni mittat de librariolis suis, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus, ex plurimorum optimorumque codd. auctoritate ita ad finem perducitur: ‚tu fac venias et de librariolis, si me amas, diligenter'.[112])

Orellio quidem, Baitero, Bootio integra nescio qui visa est hæc sententia, Wesenbergio autem iure manca atque mutila. ac si qui, illos secuti, incolumem iudicent hunc locum, ex antecedenti verbo ‚fac' prædicatum elliptice supplere debent. ‚fac' autem, coniunctivo ‚venias' ad vim adhortationis augendam appositum, non propriam insitivamque formæ verbalis potestatem habet, sed extenuatam debilitatamque particulae. quare nullo pacto subaudiri subauditumque prædicati verbalis vices gerere potest. accedit, quod imperativus vel coniunctivus adhortativus, qua sunt gravitate, elliptice suggeri vix possunt. nec memini in conquirendis similitudinibus me ullam invenisse, quæ eiusmodi ellipsin exhibeat. hoc idem sensisse mihi videntur, qui codd. Balliolensem et Oxoniensem Ψ exaraverunt, ubi ante ‚diligenter' insertum est ‚cura'. quod equidem pro interpolatione librarii habuerim, qui, non nescius deesse aliquid, fortasse usitatissima illa epistularum clausula in errorem abreptus est. Wesenbergio placet coniunctivus ‚cures', quem librario ab altero ‚s' (amas) ad alterum (cures) aberrante excidisse putat.[113]) magis vero corruptelæ originem rationemque

---

[111]) cf. e. c. ep. ad fam. XV, 2, 6; Orellii coni. ad ep. ad Att. III, 15, 7. ep. ad Att. IX, 11, 4.

[112]) quod olim coniectum est ‚diligenter *adverte*' (cf. Manut. comm. in M. Tull. Cic. epp. ad Att. Amstelæd. 1684. tom III. ed. Græv. pag. 247. Verburg. M. Tullii Cic. opp. Amstelæd. 1724. vol. VII, p. 1137) adeo improbabilitatis speciem præ se fert, ut mittam dicere verbum. id autem magis patefit mancum esse hunc locum.

[113]) cf. em. alt. p. 99.

aperire et cum consuetudine Ciceronis pervulgata concinere mihi videor commendans ,facias'. nec caret specie litterarum sonique similitudinem scribam induxisse, ut verborum omitteret posterius. atque lectioni meæ in patrocinium liceat vocare epp. ad Q. fr. III, 1, 39; ad Att. IV, 13, 2; V, 4, 2; X, 6, 2; ad fam. XIII, 8, 1; XV, 14, 2; III, 11, 3; ad Att. XV, 1a, 1; V, 1, 2; VII, 3, 7; XI, 16, 1; XII, 27, 2; 39, 2; XVI, 3, 2; ad fam. VII, 14, 1; XIV, 1, 3; VI, 7, 5. ac ne quis forte putet, vicinitatem illius ,fac' vetare repetitionem, est in ep. ad fam. XIII, 47: ,tu fac, quod facis'. ceterum coniunctivi usus aliis exemplis multis stabilitur, velut epp. ad fam. I, 5 b, 2; X, 4, 4; 7, 3; 11, 3; 15, 4; 17, 3; 29; XII, 12, 5; XIV, 1, 6. imperativi unum exemplum me investigasse memini. in hac ipsa epistula est: ,fac venias . . . et adduc'.

IV, 17, 4. (16, 7 al.)

In hac epistula Kalendis Octobribus anni a. u. c. 700 data Cicero enarrat Attico, quam tumultuose dilatorieque Romae agatur de comitiis consularibus: Messalam et Domitium, proximi consulatus competitores, tanta in populum liberalitate fuisse, ut consules fore videantur;[114]) senatum vero decrevisse, ut ante comitiorum diem tacitum iudicium haberetur in singulos candidatos; intercessisse tribunos; comitiis ex senatus consulto dilatis, dum lex de tacito iudicio ferretur, quo die ferebatur, intercessisse Terentium; re ad senatum iterum delata eum sibi repugnantem edixisse, ut primo quoque tempore comitia haberentur; ea autem obnuntiationibus per Scævolam interpositis iterum dilata esse; quo temporis spatio Scaurum, qui et ipse competitor erat, usum esse ad animos populi largiendo sibi conciliandos; huius liberalitatem uberiorem, gratiorem illorum fuisse. iamiam ,cuperem' inquit, ,vultum videre tuum, cum hæc leges; nam profecto *rem* habes nullam, hæc negotia multarum nundinarum fore'.

hæc Wieland summa atque inaudita interpretandi licentia usus ita vertit:[115]) „Ich möchte das Gesicht gesehen haben, das

---

[114]) cf. ep. ad Att. IV, 17, 3: ,certi consules erant'; Abeken l. l. p. 177; 179 infra.

[115]) cf. l. l. vol. II, p. 416.

Du machtest, als Du dieses lasest. Mache Dir indess keine Hoffnung zu einer Speculation (!): denn sehr lange (!) können diese Geschäfte doch nicht mehr (!) getrieben werden.“ atque alio loco [116]) culpæ quasi sibi conscius hæc sui excusandi causa profert pravissima et quæ vix tribuas interpreti cauto ac sano. sunt autem: „Wenn hier der Sinn Ciceros getroffen sein sollte, (?!) so bedürfte die Freiheit, die ich mir mit seinen Worten genommen, keiner Entschuldigung. Seine Worte, unmittelbar nach dem Wunsche: ‚ich möchte Dein Gesicht gesehen haben, als Du dieses lasest‘, sind ‚rem habes nullam hæc negotia multarum nundinarum fore‘. Diese Worte scheinen beim ersten Anblick etwas räthselhaft (!), aber die Herren, die den Wald immer vor lauter Bäumen nicht sehen können, haben so lange daran gekünstelt, bis sie ganz und gar keinen Sinn gaben (!). Montgault [117]) allein schien nur den Gedanken, welchen Cicero gleichsam hinter diese Worte versteckt hat (sic!), errathen zu haben. Ich wusste also nichts besseres zu thun, als diesem sinnreichen Übersetzer und Ausleger zu folgen. Alle Schwierigkeiten fallen weg (?), sobald man annimmt, dass jene Worte ein unserem Autor nicht ungewöhnlicher Scherz (?) über den kaufmännischen Speculationsgeist (!) [118]) seines mit baarem Gelde immer reichlich versehenen Freundes sind. Es ist, als ob er ihm mit lachendem Munde sagte: Da wäre mit einem grossen Kapitale ein Schnitt zu machen, denkst Du; aber Du siehst selbst, die Candidaten treiben's so hitzig und überbieten einander mit solcher Wuth, dass das Geschäft nicht lange (!) dauern kann, um so entfernt, als Du von Rom bist, die Gelegenheit benutzen zu können. — Es ist mit dieser Auslegung, wie mit dem auf die Spitze gestellten Ei des Kolumbus; wenn sie gefunden (?) ist, wundert man sich, wie nicht jedermann sogleich auf sie verfallen musste (!)“.

itane vero? credat Iudæus Apella! immo mirandum est, aliquem in interpretationem incidere potuisse tam contortam atque artificiosam tamque in lubrico fundamento positam, tam denique falsis præiudicatisque opinionibus obstrictam, ut vel obiter legisse satis

---

[116]) cf. l. l. vol. II, p. 508 sq. not. 45.

[117]) cf. Montgault: lettres de Cicéron à Atticus. Avec des rémarques et le texte latin de l'édition de Grævius. Paris 1714.

[118]) hoc idem sentit Boot l. l. not. ad h. l.

sit, ut ex vano hausta esse cognoscas, quæ nimia imaginandi vi ac poëtæ propria animo blanda sibi finxit bonus Wieland tam vivido ingenii impetu, ut iis, quæ alius falso conceperat, temere fidem haberet. atque excusando accusasse semet ipsum iudicandus est. verum enim vero sobrio critici ingenio tam opiniosa, ne dicam fabulosa, satisfacere non possunt, cui eruenda explicandaque sunt argumenta, quae re vera inhaerescunt verbis traditis, non quae manifesto depravata apparent, ficticiis extrinsecus suppositis defendenda ac tuenda. atque ut summam ducamus, ille si quis alius corrigendi necessitatem patefecit neque opus est in singulis aut illius aut aliorum [119]) pravitatibus refutandis morari. proinde Wielandium valere iubeamus; ad rem redeamus, id certe docti iam pridem invaluisse malum. ac primum quidem oboritur quaestio de argumento huius loci tam misere vexati. hic enim hæret aqua. atque incredibile est dictu, quot sententias quam inter se contrarias viri docti commenti sint: alteri posuerunt, quod alteri negaverunt. sed de his postea! equidem, si quid est iudicii, Tullium ideo amici vultum videre cupivisse arbitror, quod sumit eum obstupefactum iri litteras legentem. certiorem enim facit amicum absentem de rebus sane miris, quæ, inde a mense Quinctili [120]) usque ad Octobrem protractis comitiis, præter opinionem exspectationemque [121]) hominum accidisse putandæ sunt: liberalitas candidatorum gratissima; coitio consulum ac diremptio; edictum senatus de tacito iudicio in candidatos habendo; comitiorum dilatio; Terentii intercessio; relatio ad senatum iterata; senatus inconstantia; Scævolæ obnuntiationes usque ad pridie Kal. Oct. interpositæ; Scauri uberrimæ interea largitiones. nimirum Ciceroni licuit putare hæc Attico ante diem VI Idus Maias [122]) in Asiam profecto necopinata fore. ante diem enim IV Kalendas Sextiles ultimum ei scripserat Cicero, [123])

[119]) adeas ed. Græv. tom. I, p. 434 sq. Manut. comm. tom. III, p. 135. Baden in „krit. Biblioth. f. d. Schul- u. Unterrichtswesen. 3. Jahrg. 1—6. Heft. Hildesheim. 1821". p. 92.

[120]) cf. ep. ad. Att. IV, 16, 6: ‚nunquam ego vidi tam pares candidatos'. ep. ad Q. fr. II, 15 (15b), 3: ‚ambitus redit immanis. nunquam fuit par'.

[121]) cf. ep. ad Att. IV, 15, 8.

[122]) cf. epp. ad Att. IV, 14, 1; 15, 2.

[123]) cf. ep. ad Att. IV, 15, 2.

non omnia epistulæ committere ausus. ‚hæc negotia' autem valet de comitiis consularibus, quæ pridem indicta erant. inde iam explicatur illud ‚multarum nundinarum'. trinum enim nundinum legitime [124]) præterfluere debebat ex die, quo quid promulgaretur, usque ad diem, quo comitia haberentur. quod quidem tempus legitimum longe abierat necdum confecta erant illa negotia, nec perspici poterat, quando foret, ut absolverentur.[125]) tres enim candidati ambitus rei fore putabantur; [126]) ipsis demum Kal. Oct. senatus futurus erat; cuius qui futurus sit eventus nondum constat. ita si in conexum redigimus cum antecedentibus, quæ ambigua iacent atque obscura, clarus atque elegans evadit sensus, quem his fere assequi mihi videor: „Ich möchte Dein Gesicht sehen, wenn Du dies lesen wirst; denn fürwahr, Du hast keine Ahnung (vermuthest nicht), dass diese Geschäfte viele Wochen in Anspruch nehmen werden." estne vero quisquam tanto inflatus errore, ut quæ litteris tradita sunt, cum his congruere sibi persuadeat? quid, quæso, significat illud ‚rem'? an idem quod ‚coniecturam'? hoc exemplis probandum erat Corrado. deinde, quæ tandem ista est structura, qua accusativus cum infinitivo coniunctus subicitur termino ‚rem habes nullam'? [127]) prorsus iisdem de causis etiam Corradianum ‚r. h. nonnullam' et Manutianum ‚r. non h. nullam' [128]) reprobanda sunt. recte autem fecerunt, qui refinxerunt, quæ desiderarent illam structuram. quorum in numero est Lambinus, qui proposuit ‚spem non habes nullam', Orelli, qui legit ‚spem habes nullam'.

[124]) cf. Lange Römische Alterthümer. Berlin 1856. vol. II, p. 408. Lübker Reallex. des klass. Alterth. Leipzig 1877[5]. p. 645 s. v. lex.

[125]) cf. Abeken l. l. p. 177; 179. Verburg l. l. vol. VII, p. 1178; ubi est: ‚his negotiis multas interventuras nundinas'. Corradiana apud Grævium l. l. tom. I, p. 434: aliquam (!) coniecturam habes hæc negotia multarum nundinarum fore, antequam plane perficiantur'. ibid. quæ sunt Popmæ verba ‚ut comitia multa cum nundinatione fore videantur'.

[126]) cf. epp. ad Att. IV, 17, 5; 18, 3.

[127]) Klotz [cf. edit. p. XIII et Boot (h. l.)] recoquens (teste Manutio) Decurtati (de quo cod. cf. Schmidt z. Krit. u. Erklär. der Briefe Cic. an Att. Nürnberg. 1879. p. 3 sqq. Buecheler in mus. Rhen. XI, p. 514 et 525 sq. Haupt ind. lect. Berol. 1855. p. 15 sqq.) lectionem ‚rem habes *ut* nullam' in re incerta verba, quæ sint in libris, intacta maluit relinquere.

[128]) cf. Manutii M. Tull. Cic. alt. epp. vol. 1550 h. l.

iam mihi videas, quaeso, quantopere inter se pugnent hæ emendationes, quarum altera ponit, quod altera negat. Lambini omnino non quadrat ad sensum; Orellii eo infringitur, quod vocabulum ‚spem' plane alienum est ab hoc loco. nempe qui sperat, idem optat, quod sperat;[129]) mera autem coniciendi divinandive requiritur notio. cadit inde etiam Bootii coniectura[130]) ‚spem habes nonnullam'. eadem de causa etiam Kochii ‚suspicionem'[131]) improbo, quod in contrariam partem dicitur de eo qui timet.[132]) quod denique Wesenberg ante quadraginta annos promulgatum,[133]) in editionis apparatu critico repetivit, ab omni parte veritatem dereliquit, nec ipse suopte invento, quam par erat, fidem habuisse nec dignum iudicasse videtur, quod in verborum ordine collocaret. nec quisquam in eius partem discedere ausus est. namque ‚res dubitationem habet nullam' duabus mutationibus haud exiguis et una interpolatione exstitit. deinde nec sensus nec structura[134]) perspicitur. mera autem divinandi notio, quam res postulat, infertur substantivo ‚opinionem', quod et facili opera restitui potest et corruptelæ rationem dilucide aperit. scriba ab ‚o' finali (profecto) ad alterum (opinionem) aberrans, altera parte vocabuli omissa, quæ syllabis constabat non multum inter se discrepantibus (o-pi-ni-o), alteram litteris mandavit. quæ quidem ut in ‚rem' mutaretur, admodum in promptu erat. at fortasse quispiam dixerit: ‚cave, ne insolitam statuas verborum iunctionem'! audio; non est sane aliud huius generis exemplum mihi ad manum; sunt autem analogiæ. Cicero enim dicit non solum ‚spem habere nullam', ‚suspicionem habere nullam', verum etiam ‚opinionem habere',[135]) nec non structuram accusativi cum infinitivo coniuncti admittit.[136])

[129]) documento sit ep. ad Att. VIII, 11 D, 1. (cf. eramque in magna spe e. q. s.).

[130]) qui ut satisfaceret præiudicatæ opinioni suæ (cf. p. 41 not. 118), alteram quoque mutationem admisit; id quod arduum est nec dubitationis exiguæ.

[131]) sc. ‚habuisti nullam'. cf. Progr. des königl. Pädagogiums zu Putbus. 1855. p. 12 sq. at non offendimur temporis ratione et unus tantum cod. *Y* præbet *‚haves ut'*.

[132]) documento sit eadem ep. ad Att. VIII, 11 D, 1. (cf. nec vero . . . fecisse.).

[133]) cf. emendat. p. 9.

[134]) cf. Koch ibid.

[135]) cf. ep. ad Att. IV, 18, 1.

[136]) cf. ep. ad Att. III, 24, 2; IX, 8, 2.

V, 11, 6.

Hæc leguntur ex codd. consensu: ‚apud Patronem et reliquos barones te in maxima gratia posui, et hercule merito tuo feci; nam mihi is *ter* dixit, te scripsisse ad se mihi ex illius litteris rem illam curae fuisse, quod ei pergratum erat'.

Lipsienses, qui signum non apposuerunt, dubitasse non videntur de integritate huius loci. fuerunt autem, qui valde offenderent in vocula ‚ter'. nec mehercule iniuria! etenim — sive eam referas ad verbum ‚dicit', quod malim propter collocationem, quam obtinet vicinam, sive ad ‚scripsisse', quod Grævium secutus Wieland prætulit vertendo:[137]) „Denn Patro sagte mir, Du hättest ihm in 3 Briefen versichert, dass ich mich blos aus Rücksicht auf ihn ihrer Sache so lebhaft angenommen" — miram et frigidam sententiæ alterum, alterum absonam dictionis insulsitatem austeritatemque præ se fert. quamobrem Lambinus illud ‚ter' uncis inclusit; Orelli auctore Klotzio pronomen ‚te', quamvis codd. consensu auctoritateque bene firmatum neque molestum eiecit et voculam ‚ter' in ‚te' mutavit.[138]) quæ quidem emendatio nimis artificiosa vix cuiusquam ferat plausum. Wesenberg denique coniectura abstinens satis habuit cruce locum notasse ut suspectum. equidem id semper et ubique tenendum esse ratus eiusmodi rudera mutilationis potius vestigia quam otiosa additamenta esse, nisi aliquatenus perspiciatur, quomodo invecta sint,[139]) de duabus cogitavi emendationibus ab argumento nequaquam alienis. neque enim absonum est, Ciceronem vocula corrupta tempus indicasse, quo sibi illa dicta sint a Patrone. quare censeo syllabam ‚ter' fragmentum esse adverbii aut ‚*nuper*' aut ‚*heri*'. quoniam vero certa quædam argumenta ad sententiam comprobandam temporisque momentum firmiter constituendum ex intestina causa depromi non possunt, satis habeo, si non vera, at certe veri similia proposuisse et ansam dedisse obscuritatis dimovendæ quæstionisque solvendæ. ceterum multo faciliorem commodioremque explicationem a palæographia habet ‚heri'.

[137]) cf. l. l. vol. III, p. 114.

[138]) Bootii emendatio ‚is *te* dixit *re*scripsisse' adeo improbabilis est, ut de ea dicere mittam.

[139]) cf. Klotz l. l. p. X. Wachendorf ad Dinarch. or. 1, 66 in ‚coniectanea in orat. Attic'. (Jahresber. üb. d. Kgl. Kath. Matthias-Gymnas. zu Breslau. 1875). p. X.

VII, 5, 4.

In codd. hæc exstant: ,de re publica quotidie magis timeo; non enim boni, ut *putant*, consentiunt'.

inde a Victorio quicunque epistulas ediderunt, illo præeunte, offenderunt[140]) in voce ,putant'. nec iniuste, si quidem recte se habent, quæ a Mosero de hac re ita disputantur:[141]) ,quid sibi vult ,putant'? utrum ut ipsi putant, quod existimat Reichardus an quod homines putant? ut vult Wielandus cum Mongaltio?' et profecto, verbum ,putant' si de bonis intellegi voluisset, Cicero procul dubio, ut importunam evitaret ambiguitatem, adiecisset pronomen ,ipsi'; sin vero in universum valere maluisset (man glaubt), usus esset structura passiva, quæ omnem adimeret dubitationem. iamiam veteres editores legendum proposuerunt ,putavi', quod amplexus egregie fallitur Moser, si ,ut putavi' cum vi quadam positum esse ratus ita disserit: ,ut putavi' dicit Cicero, cum abessem ab urbe in provincia, nunc coram inspiciens, quæ aguntur, certe non procul et longinquo, non puto'. etenim quæ animo concepit blanda ac speciosa neque ex intima causa deprompta explicataque sunt neque adeo persuadent, ut illam emendationem in probabilitatem vindicent. temporis enim ratio, persona, numerus nequaquam nos sollicitant; sollicitat subiecti ambiguitas. atque etiamsi ,putavi', si memoriæ proditum esset, non dubitarem agnoscere, tamen emendatione intrudi non debet. item nihil proficimus cum Orellio legentes ,putabant'. idem vir doctus si suspicatur, fuisse in archetypo ,putarat' eiusque subiectum esse Pompeium, haud scio an mere harioletur. ac recte quidem hanc sententiam respuit Moser ita argumentando: ,de Pompeio si voluit Cicero intellegi, significandum fuit'. an quemquam putas illa legentem audientemve sua sponte unquam cogitare de Pompeio? Wesenberg denique coniecturam edidit ,putaram', de qua idem valet, quod de vetusta illa ,putavi'; accedit insuper quod nulla omnino est ratio plusquamperfecti. meum iudicium si quid valet, ne minima quidem verbi mutatione opus est. ac sensum plane assecutus esse mihi videor ante ,putant' infigens ,*quidam*'. neque

[140]) etiam Bootio hic sensus obrepsisse videtur, quamvis licet dicat ,non videtur sollicitandum'. cf. sqq.

[141]) cf. Moser symb. crit. ad Cic. spec. V (progr. gymn. Ulmani 1841), p. 10.

enim agitur nisi de subiecto illustrando; tempus, persona, numerus omnino non offendunt. in iis autem, qui ‚quidam' vocantur, cum alii esse possunt, quos bene novit Atticus, — quo nemo melius, quæ obscure iaciebat Cicero, intellegere poterat, — tum Pompeius. certe Tullius respicit factionis Pompeianæ principes, qui omnem spem rei publicæ recuperandæ in optimatibus habebant; eos iam dissentire inter se queritur. suppetunt autem lectionis meæ similitudines: epp. ad Att. VII, 9, 3: ‚nobis autem, *ut quidam putant,* nihil est timendum magis quam ille consul'; VIII, 9, 3: ‚nam sive timuit, quid ignavius? sive, *ut quidam putant,* meliorem suam causam illorum caede fore putavit, quid iniustius?' similem in modum: XII, 19, 4: ‚vides et officium agi meum quoddam, cui tu es conscius et, *ut nonnulli putant,* Ciceronis rebus'. causa denique corruptelæ similis exitus vocabulorum ‚quidam' ‚putant' fuisse mihi videtur.

hæc hactenus. alia reservavi sententiis controversis; alia offeram occasione data. sunt enim adhuc permulta, quae, non desperanda, critici munere indigent; sunt etiam permulta excutienda, quae ad epistularum sermonem attinent, qui a ceteris Ciceronis dictionibus admodum differt, atque is est, unde facillime linguae Latinae cognitio percipi possit, quae locutionis Latinae sinceram illam venustatem minimeque fucatum nitorem comprehendit,[142]) cum in epistulis scribendis sermone magis quotidiano uti soleamus non eo, qui comptioris orationis ornatum ac splendorem magnificum prae se fert. quibus enim intimo agitamur pectore, ea per litteras explicantur atque oratione ad ipsam rem animique sensus accommodata exprimuntur. accedit praeterea properandi quaedam necessitas, ut epistularum officii natura fert.[143]) in his autem, ut initio professus sum, propositum mihi erat critici munere fungi; hoc fere spectavi.

[142]) cf. Stinner de eo quo Cic. in epp. usus est sermone. Oppeln. 1879. p. 1 sqq.

[143]) cf. epp. ad Att. V, 14, 3; VI, 4, 3.

Vita.

Paulus Starker natus sum Nissae, celeberrima in urbe Silesiae Superioris, anno MDCCCLIV die XVI mensis Februarii. patre utor Josepho, matre Wilhelmine e gente Gebeliana. fidem profiteor catholicam. puer tredecim fere annorum e schola urbana, quam frequentare cœpi vere anni MDCCCLIX, traductus sum ad gymnasium patriae meae regio-catholicum, quod etiam nunc floret administrante Dr. Julio Zastra, viro illustrissimo mihique semper carissimo. inde maturitatis testimonium adeptus auctumno anni MDCCCLXXV Vratislaviam migravi studiis philologicis et philosophis operam navaturus. stipendia deinde merenti annua in litteris vivere non ita multum mihi licuit. in seminarium philologicum receptus exercitationibus per quattuor deinceps semestria interfui moderantibus viris doctissimis Hertz et Reifferscheid. sub finem cursus mei academici studia mea iterum interrupta sunt gravi morbo atque longinquo. scholas frequentavi v. v. ill. Dilthey, Elvenich, Freudenthal, Grünhagen, Hertz, Ludwich, Partsch, Pfeiffer, Reifferscheid, Rœpell, Rossbach, Weber, Weinhold. omnibus viris unquam bene de me meritis per hanc occasionem liceat mihi gratias agere quam amplissimas, imprimis praeceptoribus carissimis Hertz, Reifferscheid, Rossbach.